

INSTITV^TIO.
NES RHETO.
RICÆ CON-
SCRIPTÆ

AB

ALEXANDRO OLI-
ZAROVIO EQVI-
tc Polono.

Cum facultate Superiorum,



INGOLSTADII, Typis GRE-
GORII HÆNLIN.
ANNO M. DC. XLIII.



**ILLVSTRI ET AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO**
IOAN: CHRISTO-
PHORO THANNER
DOMINO IN BVECHERS-
RIEDT ET VVELDA SERENISSIMI
ELECTORIS BAVARIAE CAMERA-
rio Consilij Aulici Vice Præsidi &
Præfecto in Vohburg &c.

Domino ac Patrono meo Co-
lendissimo.


Nstitutiones istæ Rhetorice, quæ suasu quorundam amicorum in lucem erant proferendæ, nō sub alio patrocinio audebant in publico cōparere, quam sub Tuo Illustris & Amplissime Domine: Non sub alio quam

quam patrocinio , quam Tuo. In Te
etenim, certissimum mihi esse praesidi-
um ostendit singularis bonitas, & op-
tima erga me voluntas, quam solo ani-
mo me meruisse scio. Eadem etiam bo-
nitas , qua hanc mihi fiduciam dedit ,
simul & religionem iniecit , ut una
eademque via & turelam Tuam cliens
expeterem , & Virtuti Tuæ cultor ve-
nerationem exhiberem. Parui liben-
ter. & licet tenuitas mea non potuit
eam digno munere colere quia tamen
nequaquam facultas debuit obstat
voluntati , mentisq; impedire deuo-
tionem, affero hoc supplici animo, ma-
ximi cultus Tui testimonium. Fateor,
mūnus leue atque exiguum esse , opus
rude & omnino vulgariis nota. Sed
nec tenuis conari grandia, nec sylue-
stris Musa potuit præstare cultiora.

A fe-

A felicioribus id cultoribus debetur,
ut mens & munus in parem conspi-
rent magnitudinem: in reliquis vero
nunquam animus exitu potest aestima-
ri. Itaque multi, quos generis Tui clari-
tas, doctrina, dignitas, & Virtus ad
culum Tui inuitarunt, poterant me esse
feliciores, quia nimis facile illis fu-
it cupiditati vires coniungere nullo
tamen pacto, magis tibi dediti fue-
runt quam ego; quia ut rebus inferio-
rem me alijs esse ingenue confiteor, ita
animo (licet audiente inuidia dicam)
nulli profecto primas concedam. Non
reijcies igitur (quae Tua humanitas
est) exile hoc deuoti Tibi clientis do-
num, permittesg laborem hunc meum
sub Illustris nominis Tui tutela palam
& in luce publica versari. Id mihi
in primis pollicetur incredibilis natu-

Tua Bonitas, ad cuius decus & orna-
mentum plurima & maxima simul
D E V S redegit bona: spondent deinde
hoc ipsum & illi qui ope Tua ac benefi-
cio singulari è tenebris ad lucem sunt
elati, tibiq. libenter acceptam referunt
suam claritatem: inter quos ut me
quoque non digneris habere, etiam
atque etiam contendō. Vale Illustris
& Amplissime Domine ac vota bene
tibi cupientium felicitate vince. In-
golstadij die 12. Iunij, Anno 1643.

Illustris ac Amplissimæ
Dominationis Vest.

Seruus humillimus

Alexander Olizarouius.

AD LECTOREM.

 Vod in alijs scientijs non
inutile esse , multorum
profectus demonstrauit,
idem in arte quoq; dicendi, non-
sine fructu spero fore , Lector be-
neuole. In alijs scientijs maximo
incipientium commodo , institu-
tiones ante omnia pingui Miner-
ua proponuntur , quibus tyrones
tanquam elementis eruditi, & to-
tus scientiæ ideam (vt ita dicam)
quandā, concipiunt ; & ad altiora
felicius progrediuntur. Ad simi-
lia omnino conferent eloquentię
quoq; studiosis , Rheticæ insti-
tutiones , cum etiam in hac arte
plurimi sint altiores atque recon-
diti sensus , quos certè nemo satis
assequitur nisi bene positis prius

A 4

Rhe-

Rheticæ rudimentis. Hanc ergo ob causam non frustra omnino ex varijs auctoribus collectæ debent videri istæ institutiones: nisi forte quis dicat, illas jam ante esse conscriptas. quod quidem & ipse non inuitus fateor, addo tamen, illas aut subtiliores esse, aut prolixiores: nostræ autem, & à breuitate, quam in præceptis vult esse Romanus sapiens, & à simplicitate possunt habere suam commendationem. Quin opiniones quasdam quæ passim in hac arte oraculi loco habebantur reieci, utrum recte: tuum erit, inspectis rationibus, sicut & de omnibus alijs judicare,
Vale.

IN-



INSTITUTIONVM RHETORICARVM

L I B E R . I.

Quæstio I.

DE DEFINITIONE, OFFICIO, FL.
ne, & Materia Rhetoricæ

§. I. DE DEFINITIONE, RHE-
toricæ & officio eiusdem.



*Hetorica est ars opesimis sen-
tentijs Verbisq; lectissimis di-
sensit.*

Alij hanc tradunt defi-
nitionem. *Rhetorica est ars benedicendi:*
Verùm hæc definitio etiam Grammati-
cæ competit, quæ etiam certo modo est
ars benedicendi.

Nec valet hic illa excusatio; quod

A 5 ali-

2 INSTITVT: RHET.

aliter Rhetorica , aliter verò Grammatica sit ars bene dicendi , quia etiam sic manet ambigua definitio ; nec definitum satis intelligitur , nisi accedat vltior explicatio ; quod est contra consuetudinem definitionis ; quæ primo intuitu distinctè debet , & non confuse naturam rei explicare .

Rheticam autem esse artem , hinc constat , quod ex obseruatione nata sit , ac ea præcepta habeat , quorum ductus nemo à scopo aberrat .

Officium Rheticæ , est apte ad id quod intendit dicere , id est , eas rationes & eo modo in dicendo adhibere , quæ , & quo magis ad finem propositum facere videbantur .

§. 2. De FINE RHETORICÆ.

Finis à Philosopho accipitur pro eo ,
cui-

cuius gratia aliquid fit. seu propter quē
fit aliquid. Duplex porrò hoc loco finis
potest considerari , alter (vt Philofo-
phorum ritu loquar) *intrinsecus, extrin-
secus* alter. *Intrinsecus*, est in intentione &
manu artificis, *extrinsecus* extra eius po-
testatem. Exempli gratia. artifex gla-
dium juxta artis suæ regulas conficit ac-
curatissimè ea intentione ut inferuat
pugnanti. Hic artifex eo ipso , quod
gladium omnibus suis numeris absolu-
rit , finem suum *intrinsecum* seu inten-
tionis est consecutus , *extrinsecum* verò
tum demum habuit, quando gladij usus
in pugna fuit. His notatis certum est ,
quod finis Rhetoricę *intrinsecus* sit idem
quod & officium illius, nimirum appo-
sitè dicere , ad id quod intendit. Finis
verò *extrinsecus* est intentionis obten-
tio. Priorem finem orator semper con-
sequitur quoties artis suæ obseruat præ-

4 INSTITVT: RHET.

ceptiones , posteriorem verò tūc , quādo in auditore id efficit quod intendebat.

Per hanc itaque duplicis finis distinctionem facile respondetur ijs , qui negant Rheticam esse artem , eo , quod non semper fine potiatur , semper enim potitur fine intentionis quem in manu sua habet , licet nō semper extrinsecum consequatur , qui est sub fortunæ arbitrio ; quod etiam alijs artibus solenne est.

Alij finem Rheticę dicunt esse , persuadere dictione : sed secundum hos careret fine genus demonstrativum , in quo genere nec suadetur nec disuadetur quidquam , sed tantum audientium voluptas quæritur.

Nec satis est si quis dicat , delectationem ibi aliquo modo persuaderi , vel virtutes illas v. g. quæ laudantur , hæc enim

enim non suadentur sed suapte sponte
cōsequuntur. Deinde si sufficit ad hunc
finem , in genere etiam demonstratio
statuendum, contingens aliqua persua
sio: posset æq; dici Rheticæ finis de
lectatio, quod & hæc in omnibus dicen
di generibus contingat. quæ si admit
tantur, non poterit rectè subsistere vul
garis illa in tria genera dicendi diuisio ,
nempe in Demonstratiuum , Delibera
tiuum & Iudiciale. Sed vnicum tantum
erit genus Deliberatiuum , si quidem
semper orator aliquomodo persuadet.

§. 3. DE MATERIA RHE torice.

Qui putant à Rherorica de omnibus
rebus dici debere , pro materia illi om
nes res affinarunt. Sed contra hos ali
qui Stoica subtilitate inferūt , quod hac
materia Rhetorica posita , necesse sit
Rhe-

6 INSTITVT: RHET.

Rhetorem, scire omnes artes ac scientias, rerum item omniū naturas & conditiones, eò quod his ignoratis, bene de ijs dicere non possit.

Hæc quidem ratio non conuincit, responderi enim potest requiri quidem in oratore omnium rerum scientiam, sed illam non omnino perfectam, hoc enim fieri non potest, sed scientiam rerum minus exactam & (vt dicitur) in communi, quæ ab oratore haberi possit ad eiusq; munus sufficiat.

Magis vetat Rhetoricæ materiam esse res omnes, quod hac admissa de quadratis, de rotundis, de asini umbra ac de lana (quod aiunt) caprina disputare, esset munus oratoris, quas ineptias sophistis relinquunt oratores, sibi vero agendum putant, de justis & iniustis, de utilibus & inutilibus de honestis & turpibus, non de circulis, conis, ac pyramidis.

ramidibus. Aristoteles quoq; ait Rhetoricen in ijs modo rebus versari , quæ sunt in communi quadam intelligentia positiæ , & de quibus nemo est qui non natura duce vtcunq; judicare , se posse confidat.

Censeo itaque cum doctissimo Cypriano Scario , materiam Rheticæ esse quæstionem; quæ de justis ac iustis ac iniustis , vtilibus, ac inutilibus, honestis deniq; atque inhonestis institui potest.

Quæstio autem est duplex ; altera *in infinita* Græcis *thesis* Ciceroni propositum dicta , altera *finita* , à Græcis *hypothesis* , à Latinis vel causa vel controuersia appellata . *Infinita* vniuersim quærit , vt an Philosophica sit perdiscenda . *Finita* hoc ipsum facit , certis personis , locis , temporibus & negotijs adhibitis . vt Iure ne Caius Cæsar occisus est à Romanis . *Infinita* quæstio iterum duplex est , pri-

8 INSTITVT: RHE.

prima est *cognitionis*, quæ solâ rei scien-
tiâ contenta est: ut dum quærit. An Æt-
na sit altior Atlante: secunda est *actionis*,
quæ ad opus se extendit , vt quando
quæritur, quo pacto tranquillitas ani-
mi quærenda est ?

Finitam quæstionem transferunt o-
ratores ad *infinitem*, dum scilicet eam-
à proprijs personis locis ac temporibus
auocant. Hanc v. g. An Aristotelis
Philosophia à Græcis adolescentibus
Athenis fit perdiscenda. ad istam An-
Philosophia fit perdiscenda. Sunt enim
teste Cicerone ornatissimæ orationes
eæ , quæ à singulari controværsia , se ad
vniuersi generis vim explicandam con-
ferunt. Latius autem de genere quam
de parte disceptare licet. Ut quod in v-
niuerso sit probatū , id in parte sit pro-
bari necesse. Ab his quæstionibus Rhe-
tores descendunt ad tria genera causa-
rum.

rum, *Demonstrarium*, scilicet, *Deliberarium*, & *Iudiciale*. *Demonstrarium* in laude vel vituperatione versatur. *Deliberarium* in suasione vel dissuasione cōsistit, *Iudiciale* positum est in accusatio-
ne, vel defensione. Et quidem dubium non est circa hæc genera versari orato-
rem, sed latius interea se eius extendit industria quam hæc tria genera pateant.
Nam ut omittam alia, certum est, lega-
tos dum munere suæ legationis obolu-
to coram suis Principibus in senatu ver-
ba faciunt, & quæ sua legatione perfe-
cerint explicant, certum inquam est,
eos officium subire oratorum, qui ta-
men in nullo trium istorum generum
veriantur: neque enim laudant aut vi-
tuperant, nec suadent vel dissuadent,
multo minus defendunt aut accusant,
sed tantum legationis suæ peractæ seri-
em exponunt. Videtur itaq; quod om-
nino

XO INSTITVT: RHET.

nino plura sint genera , quam hæc tria
passim credita ..

Quæstio II.

DE PARTIBVS RHETORICÆ, ET
quibus rebus eloquentia com-
paratur.

§. I. DE PARTIBVS RHE- toricæ.

Quinq; partes Rhetoricæ Cornifici-
us affignauit, *Inuentionem* nimirum,
Dispositionem, *Electiōnem*, *Memoriam*, ac
Pronunciationem. Debet enim inuenire
orator, quæ dicat, inuenta disponere,
disposita eloqui, tandem ex memoria
pronunciare. Inuenit porrò orator
quando rationēm confirmandæ rei ex-
cogitat ; disponit, quando inuenta in
ordinem distribuit ; eloquitur , quando
verbis ac sententijs idoneis, inuenta ac
dispo-

disposita explicat: vltima duo præstat, quando ea quæ memoria percepit, profert, ad audientes cum vocis & corporis moderatione.

Sapientissime hic monet doctissimus Soarius *Iudicium* non esse sextam partem Rhetoricæ, eò quod hoc in cæteris partibus dictis includatur,

§. 2. *DE HIS REBUS QVIBVS
eloquentia comparatur.*

Certum est eloquentiam. *Natura, Arte, & exercitatione* comparari. Et naturam quidem quæ ad eloquentiam præ omnibus alijs necessaria est, non parit ars oratoris, sed tantum limat & corrigit, si non omnino ad munus oratoris inepta est. Natura ad eloquentiam apta est illa, quæ motus ingenij habet veloces, ad inueniendum, memoriam facilem ad percipiendum, & firmam ad recti-

retinendum, linguam solutam ad pronunciandum, vocem præterea sonoram, robustas vires, foria latera, & constitutionem totius corporis nō indecoram. His naturę dotibus si quis destitutus fuerit ad quidvis aliud se potius natum quam ad eloquentiam existimet. Qui vero naturam sortitus est commodam, artem quoque adiungat ei necesse est: hæc enim cum sit dux certa, plurima præstat oratori commoda. Inprimis enim ea quæ sint orta iam in nobis nutricis sedulæ ritu educat, admonet prætres oratorem, quo quidq; referri debeat, & ad destinatam metam recte dirigit, fiduciam denique parit & à formidine liberat qua semper trepidant ij, qui opera sua non ad artis regulas, sed fortuito conficiunt.

Ad naturam post artem *Exercitatio* spectat vel maximè, sine qua nemo unquam

quam venit in numerum oratorum. Illa autem varia est , alia enim est vocis & linguæ , alia gestus & memoriæ , alia denique eaque potissima scriptionis ac styli , qui præstantissimus dicendi effector ac magister est. Quæ quidem omnes exercitationes duplii possunt fieri via , altera quando quis ad sola præcepta attendens , propria industria studet se ad illa conformare , quam perfectissimè ; altera vero quæ *imitatio* dicitur , est , quando quis opera sua vult ad similitudinem alienorum effingere.

Hæc iterum imitatio duplex esse possest , alia nimirum rerum & sensuum , alia elocutionis ac verborū ; in hac alienam elocutionem sequimur & flores dictionis , in illa , rem , sensum , modum , & dispositionem obseruamus . Tertium imitationis genus inhonestum esset , si quis videlicet , & rem & elocutionem alic-

alienam simul in sua transferret opera.
si tamen modestè aliquis , & non pa-
sim , nec longo tractu , etiam sensum
pariter cum verbis alienum suę rei apta-
ret , nihil delinqueret , præsertim si se
id sponte offerat & non inuitum trahe-
tur.

Obseruandum autem est diligenter
in hac imitationis exercitatione , vt nō
nisi præstantissimos imitemur in eo ge-
nere , in quo nos volumus exercere. Et
sic cui grandis pompa & maiestas ora-
tionis placet , ad Tullium ac Liuum se
conferat : cui florida oratio ad Plinium ;
cui subtilis , sententiosa , breuis , & acu-
ta ad Senecam , Sallustium , Curtium ,
Tacitum & Quintilianum . Quem ve-
ro puritas & sermonis simplicitas
delectat , in Cæsarijs histo-
rijs illam inueniet .

Quæ-

Quæstio III.

DE INVENTIONE ET LOCIS EX
quibus insita sumuntur argu-
menta

§. 1. *DE INVENTIONE.*

Inuentio secundum quosdam & ad
tes & ad verba se extendit. Cicero
enim in Partitionibus dicit. *sed et res*
et verba innonienda sunt. Sed cum i-
dem Cicero ibidem dicat. *Propriete autem*
in rebus inuenire, in verbis eloqui dicitur.
ideo de inuentione verborum agam vbi
de elocutione. hic vero de inuentione
rerum, quæ oratori & ad fidem, faci-
endam, & ad motum in auditorum ani-
mis excitandum necessaria est. Tam fi-
des quam motus fit argumentis diuerso
tamen modo; prius enim intellectus co-
gnita argumentorum ac rationum veri-
tate

veritate assentitur illis , qui assensus hoc loco *fides* vocatur. Voluntas vero posterius ijdem argumentis ac rationibus acquiescit , propter naturalem consensum virium appetituarum cum intellectu. Atque ita quando voluntas fertur in id quod ei ab Intellectu proponitur , appetitus illius *Motus* dicitur.

Multum tamen ad motum excitandum iuuat modus dicendi per amplificationes & figuratas patheticas de quibus infra. Hic verò ex occasione. Observandum est , quod voluntas nostra duos tantum actus habeat , Amoris scilicet & odij , amore bonum prosequitur , odio malum auersatur. Et quia tam bonum quam malum vel præsens est vel futurum , ideo amor circa præsens bonum dicitur *gaudium* & *Voluptas* circa absens & futurum dicitur *spes* , *cupido*

tas, desiderium. Odium vero quod est mali praesentis, vocatur, *agritudo, molestia*, & similibus nominibus, impudentis vero mali dicitur *metus &c.* Ad hos actus seu affectus, pro necessitatis gentia permouebit orator animos ex auditorum.

Obseruandum item est opinionem esse duplicem, aliam firmam, quando omnino quis ita se rem habere existimat, & non aliter. & talis opinio vocatur *Fides*. Alia vero opinio est imbecilla, quando quis putat aliquam rem sic se habere, & simul tamen aliquo modo formidat, ne se aliter illa res habeat quam ipse existimat; & talis timidus assensus vniuersali nomine *opinio* appellatur. His notatis.

Inuentio est argumenti excogitatio. *Argumentum* autem est est ratio rei dubiae faciens fidem, ut si cui res dubia es-

set, eloquentiam esse expetendam, huic fidem faciet hoc argumentum. Ars dicendi est expetenda, ea est eloquentia, ergo eloquentia expetenda.

Potrò argumenta partim sunt *insita* seu *intrinseca*, partim *remota* & *extrinseca*, quæ etiam, sine arte vocantur. *Insita* rebus ipsis insunt, vt si dicas *Bellum non est suscipiendum quia est periculosum*, erit argumentum insitum, quia *periculum* quod pro argumento ad distadendum bellum sumitur, ipsi *bello* inest & ex illo ipso eruitur. *Remota* argumenta sunt, que non insunt rebus ipsis, nec (vt ita dicā) ex visceribus rerum eruuntur, sed foris petuntur. Ut si dicas, abstinendum esse à bello, quia id Poeta dissuadet.

Insita argumenta in his locis quærenda sunt. nimicum. In *definizione*, in *Narratione*, in *Coniugatis*, in *Partium enumerazione*, in *Genere*, & *Forma*, in *Similitudine*, in *Oppositis*, in *adversatio in Causis* in *Effectibus*. Pro

Pro remotis argumentis sex communiter sedes assignantur. *Praeindicia videlicet, Fama, Tormenta, Tabula, Insurandum, Testes.*

§. 2. DE DEFINITIONE, NOTATIONE, & Coniugatis.

Definitio, est oratio, quæ naturam illius rei quam definit explicat. ut *Institutio est virtus tribuens conscientiam, quod suum est.* Definitiones variæ sunt, sed subtiliores eius descriptiones, & divisiones, & leges, exactius in Dialectica traduntur hic tantum.

Obseruandum est, dum orator debet rem aliquam definire, primo accipiat id, in quo res illa conuenit cum alijs rebus, deinde adiungat id quod proprium est rei quæ definitur, & sic efficiet definitionem. Exempli causa si definiat *Institutam*, & dicat *Institutio est virtus tribuens conscientiam, quod suum est*: hic accipit pri-

mo *Virtutem*, quæ communis est Iustitiæ cum alijs habitibus, scilicet prudentia, & Fortitudine; deinde addit. *Vnicuique tribuens* quod suū est, per quæ verba, differt Iustitia, à Prudentia, Temperantia & Fortitudine, & omnibus alijs habitibus, qui non sunt Iustitia. Hoc in quo aliqua res quæ definitur, cum alijs conuenit, vocatur *Genus*, id verò per quod ab alijs differt *Differentia* dicitur. Et ita in præsenti definitione Iustitiae. *Virtus est Genus*, verba autem *tribuens* *Vnicuique quod suū est*, loco differentiæ ponuntur. Cauerit autem orator ne definitiones subtile斯 nimis ut Metaphysici solent, & à communi intelligentia abstrusas faciat, sed ad populare, judicium se accommodet. Hinc oratores per Metaphoras etiam ac similitudines non inuenustè definiunt, dum dicunt. Pecunia est nervus rerum gerendarum, Iuentus est flos ætatis, Mors est ultima linea rerū.

Argu-

Argumentum à Definitione sic ducitur. Virtus ynicuique quod suum est tribuens, est colenda.. ergo & iustitia quæ est illa virtus.

Noratio quæ ab Aristotele symbolum vocatur, ab alijs autem Græcis Etymologia, est vocabuli interpretatio. Tam orationibus quā Poetis est in usu *Onus*.

A senibus nomen, mite Senatus habet.

Ab ea sic ducitur argumentū. Si ciuīs est qui tuetur ciuitatem, nequaquam ciuīs est Catilina qui eam oppugnat.

Coniugata sunt, quando plures voces generis eiusdem iunguntur, ab vna primiua deriuatae. Ex hoc loco illud est vulgatum argumentum. Homo sum humani nihil à me alienum puto.

§. 3. *DE PARTIVM DISTRIBU-*
tione, Genere, & Forma, ac
Similitudine.

Partium distributio est alicuius totius
B. 3 in su-

in suas partes diuisio. De qua Dialectici multis & subtiliter, nos paucis & populariter. Ab ea fit argumentatio, quādo omnibus partibus enumeratis fit ilatio ad totum. Sic Cicero quā in rege Deiotaro enumerauit omnes virtutes regibus proprias, frugalitatem scilicet, fortitudinem, justitiam, seueritatem, Liberalitatem, & similes; concludit, omnes esse in illo regias virtutes. Dilegenter autem est attendendū ut in partium distributione nullam partem prætermittamus, alioqui inutiliter reliquæ recensebuntur vel vnica omissa.

Genus est quod sui similes cōmunione quadam, specie autem diuersas complectitur partes. Partes autem hæ sub genere cōtentæ *Formæ* dicuntur & species. Ut *virtus*, est *genus* continet enim sub se plures formas, seu species. Prudentiam v. g. Iustitiam, Fortitudinem & tem-

pe-

Univ. Biol.
München

perantiam, nam & justitia virtus est, & temperantia & reliquæ duæ. Hinc colligitur *Formam* nihil aliud esse, quam partem quæ sub genere continetur. sic ergo *Iustitia* est *forma* & continetur sub virtute. *Virtus* autem est *Genus*, quia sub se continet *Iustitiam*. Argumentum à Genere sumitur hoc modo. *Virtus* laudem meretur, ergo & Fortitudo. A forma vero, seu specie sic. Si *Iustitia*, est, vtique *Virtus* est.

Similitudo inter res dicitur, quando res una ita est, sicut alia. A similitudine ita sumit Cicero argumentum contra Antonium. ut in seminibus causa est arborum & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Aliquando habet protasim & appodasim explicate positam, cū particulis. Quemadmodum. Sicut. Ut, Ita, similiter. &c. ut in posito patet exemplo: aliquando vero non. quando vide-

licet, sine particulis, quæ sunt notæ similitudinis potest bene comparatio intelligi. vt apud Curtium illa à Scytha ad Alexandrum prolata. *Quid tu ignoras arbores magnas diu crescere una hora extirparis?* Stultus est qui fructus earum spectat aliquid studiuem nō metitur, Vide ne dum ad cacaumen peruenire contendis, cum ipsis ramis quos comprehendenter decidat.

Iam autem similitudo, quæ est inter qualescunq; res, vocatur communis nomine *similitudo* quæ autem est inter personas *Exemplum* à Rhetoribus dicitur: quæ item persone, aut pares sunt inter se, aut impares: & sic inter pares appellatur *comparatio à pari*, inter impares verò *comparatio*, minoris ad maius aut maioris ad minus. Comparatione à maiori ad minus sic vtitur Ouidius.

*Quod decuit reges cur mihi turpe
putem⁹?*

A mi⁹

A minoribus ad maiora illud est Horatij.

Vt ingulent homines surgunt de nocte lastrones

Vt te ipsum serues non expurgisceris.

A pari ad par duces argumentū , si Catelinam cum Antonio conferas , qui veterque pestis erat patriæ. Hæc de similitudine.

Dissimilitudo verò quæ ab alijs diuersus hic locus ponitur , magis videtur ad contraria pertinere. Eius exemplū hoc traditur si barbarorum est in diem viuere nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.

§. 4. DE OPPPOSITIS ET Adiunctis.

Oppositorum genera sunt quatuor. nimirum *Contraria* , *Priuantia* , *Relativa* , & *Contradicta*.

Contraria sunt quæ sub eodem genere plurimum à se distant. vt virtus & vi-
tium, quæ sub genere habitus maxime
sibi aduersantur. Ab his hoc modo ra-
tio desumitur. Si virtutem amamus, vi-
tijs nuntium remittamus.

Priuationis oppositio est, quando habi-
tui priuatio eius opponitur, vt vitæ,
mors, luci, tenebræ. Ex hoc loco Ci-
cero pro Milone dixit. *Eius igitur mor-
tis sedetis vtores, cuius vitam si putatis per
eos restitui posse nolitis.*

Relatiuè opponuntur ea quæ inter se
conferuntur, & quorum vnum sine al-
tero nequit intelligi vt Dominus, ser-
uus, pater, filius, datum, acceptum.
Ex isto loco est Senecæ in Troade. *No-
scere hoc primùm decet quid facere vitor de-
bet, victus pati.*

Contradictoriè repugnant ea quorū
vnum asserit, aliud verò rem andem ne-
gat. Ut si quis dicat Amanda est virtus,
& al-

& alter dicat non est amanda virtus.

Oppositorum etiam naturam sapiunt
Repugnanria, quæ neque certa lege
 neque numero desident. Ut ~~amare~~
 & ~~nocere~~. Videntur quidem ad con-
 traria accedere, sed tamen differunt
 ab illis, siquidem in conararijs directe
 vnum alteri opponitur; in repugnanti-
 bus verò; vni opposito, consequens
 alterius oppositi repugnat. Ut ~~amori~~ cō-
 trariè opponitur *odium*, repugnatiuè au-
 tem (si ita loqui licet) eidem ~~amori~~ ad-
 uersatur *nocumentum*, quod sequitur ex
 odio. Ex hoc loco sic ratio accipi po-
 test. Amat illū, ergo nō vult illi nocere.

Adiuncta vocat Cicero ea quæ sunt
 cum re coniuncta. Ut sunt. Locus tem-
 pus, apparatus, colloquia, & reliquæ
 circumstantiæ quæ hoc versiculo con-
 tinentur

Quis, Quid ubi Quibus auxilijs Chr,
Quomodo, Quando.

Adiuncta etiam dicuntur, quæ hominis siue animo siue corpori inherent. Animo, ut virtus vitia, scientia, ignorantia &c. Corpori, ut robur vel debititas, pulchritudo vel deformitas &c. Ab uno & altero adiuncto petitum argumentum non multum habet roboris. Si tamen plura adiuncta simul conspirent facile persuadent. Sic Cicero volens persuadere Pompeium non esse fæderis violatorem, eius adiuncta commemorat, dicens Hunc quisquam incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, constantia præditum, fædera scientem neglexisse, violasse, rupisse dicere audebit?

§. 5. DE CAUSIS ET Effectis.

Causa est quæ sua vi efficit id cuius est causa, ut sol respectu lucis. Causarum sunt

sunt quatuor genera. *Efficiens* nimirum
Finis, *Materia*, & *Forma*. *Efficiens* est, quæ
aliquid producit. vt ignis calorem. *Finis*,
est causa, propter quam aliquid fit, &
sic scientia est finis studij, quia propter
scientiam studium suscipitur. *Materia*
est ex qua aliqua res conficitur, vt au-
rum ex quo fit calix, est calicis causa
materialis. *Forma* est quæ materiam in-
format. vt anima hominis, est forma,
quia corpus illius informat; & figura
calicis, est forma eiusdem, quia per eam
aurum est formatum. Per hanc causam
vel maxime res à rebus differunt. Argu-
mentum à causa efficiente sic ducitur.
Virtus parit gloriam, ergo est colenda.
à causa finali sic Si ad scientiam perue-
nire volumus, laborem studendi non
fugiamus. à Materia sic. Corpus ho-
minis mortale est ab eius igitur societa-
te & contagione immortalis animus se
vocan-

uocandus est. A causa formalis deniq;
hoc modo. Animi hominum immorta-
es sunt. homines igitur ad æternitatem,
immoralitatemque beatæ vitæ aspirare
debent.

Effecta sunt ea quæ sunt orta de cau-
sis, ita dies est effectus solis à quo ori-
tur. pax belli, per quod acquiritur. Si-
cū causarum, ita & effectuum quatuor
sunt genera. Qui autem singularū cau-
sarum sint effectus, facile cognitis cau-
sis cognoscuntur. Ab illis eodem mo-
do, quo & à causis ducuntur argumen-
ta, transpositione tantummodo adhi-
bita.

Quæstio IV.

*DE LOCIS EX QVIBVS REMO-
ta argumenta sumuntur.*

Argumenta ex his locis eruta, di-
cun-

cuntur sine arte. non quod omnis artis
sint prorsus expertia , sed quod ea non
pariat ars oratoris , & licet arte illa tra-
ctet , foris tamen ad illum deferuntur.
Illa Cicero in Partitionibus nomine te-
stimonij comprehendit Testimoniū au-
tem ibidem diuidit in diuinū & humanū,

§. I. DE TESTIMONIO Diuino.

Testimonium diuinū apud antiquos,
erant *oracula*, *auspicia*, & *divinationes*.
item *responsa sacerdotum*, *hauriſſicium*, &
conſectorum. *Oracula* teste Cic. in Topic.
ex eo ipſo appellata ſunt quod in eſt hiſ
deorum oratio. ſeu breuius. Eſt vox ipſa
Numinis quam ſuo ore reddit. Fre-
quenter enim veteres , deaſtros ſuos
confulebant, à quibus reddita reſponſa,
oracula appellata ſunt. Hinc apud Vir-
gilium.

Æneid. 2.

Suspensi Eurypitū ſcīratū oracula Phabs
Moffi-

*Mittimus, ieq; aditis hac tristia dicta re-
pertat*

*Sanguine placasti ventos & Virgine casas
Sanguine quarendi reditus animaq; lis-
tandum Argolicas*

Auspicias sunt denunciationes augu-
rum, veluti deorum interpretum, qui
non tantum aues sed & tonitrua, ful-
mina, tempestates, & his similia con-
siderando futura denunciabant.

Vaticinationes sunt effata vatum: vt
Sibillarū, Cassandrae, Heleni Calchan-
tis &c.

Responsa sacerdotum sunt diuinarū re-
rum interpretationes; Sacerdotes enim
antiquorū habebant potestatem men-
tem suorum Deorum interpretandi.
Hinc quicquid illi respondissent religio
habebatur. Ex his erant, reges sacro-
rum Pontifices, Flamines.

Responsa Haruspicum sunt diuinationes
qua sumuntur ex extorum inspectione.
Haruspices enim certas notas in victi-

marū extis obseruabant, ex quibus veniebant in cognitionem diuinæ voluntatis, & iuxta hanc dabant responsa cōfidentibus.

Responsa Coniectorum, sunt interpretationes somniorum deitus immissorum. Atque hæc apud veteres ad diuinum testimonium pertinebant. Christiano autem oratori, diuina testimonia sunt sacrae literæ, vulgo Biblia vocatae, Traditiones Ecclesiæ, miracula, somnia cælitus immissa, apparitiones sanctis hominibus factæ, consensus fidelium, Cœciliorum definitiones, Sanctorum Patrum auctoritas. Responſa Pontificū, Theologorum Scholasticorum cum Canonistis & Iuristis auctoritas; ratio naturalis adiuncta lumini reuelationis.



§. 2. DE TESTIMONIO
humano.

Sub testimonio humano comprehenduntur, *Praejudicis*, *Rumor*, *Fama*, *Tormenta*, *Tabula Insurandum* & *Testes*. *Praejudicium* est sententia vel decretum, quod in eadem causa vel simili prius est latum. *Rumor* est sermo in populo sine certo auctore de re recenti dispersus. *Fama* est sermo in populo, siue cum certo, siue sine certo auctore diuulgatus; item, siue de re recenti, siue etiam impeterata. *Tormenta* hoc loco significant confessionem à reis per cruciatus extortam. *Tabularum* nomine intelliguntur hic codicilli, in quibus testamenta, actaq; publica scribuntur. *Testes* & *Insurandum* clariora sunt, quam ut explicatione indigeant.

Ad prædictos locos aliqui separatim addunt etiam istos, Eruditionem, Apologos,

logos, Adagia, Hieroglyphica, Emble-
mata, Testimonia veterum. Dicta gra-
uia & sententiosa, & his similia. Sed
ista omnia in supradictis locis includū-
tur, quod facile consideranti patebit.
Atque hæc sufficient de locis argumen-
torum, quorum usus magnum requirit
delectum ac judicium; nam leuia reij-
cere, communia nonnunquam præmit-
tere, ac non necessaria oportet; sola ve-
rò adhibere ea; quæ grauia, singularia,
& ad propositum utilia esse videbuntur,

Quæstio V.

DE MOTU QVEM ORATOR IN animis debet excitare.

Quoniam orator finem suum habe-
re non potest, nisi doceat & moueat au-
ditorem. Affectus autem qui per mo-
tum excitantur, varij sunt, progenie-
rum dicendi varietate: delectatio scili-
cet

cet in genere demonstratiuo; spes ac re-formidatio, in deliberatiuo : in judicia-li, sæuitia ac clementia. Ac vnde do-ceri possit auditor, iam supra monstraui, nunc consequens est vt ostendam vnde motus oriatur. Dixi autem supe-rius, tam fidem quam motum fieri ar-gumentis, diuerso tamen modo. fides enim nuda veritate per argumēta pro-posita potest effici, motus vero , ratio-nes , verbotum ac figurarum apparatu inſtructas postulat : vocis præterea cer-tum quendam flexum & exteriores e-loquentiæ illecebras requirit. Maxima porrò ad oppugnandos & vincendos a-nimos machina, est amplificatio : ea ve-rò ex rebus & verbis conficitur. Et de verbis quidem quæ amplificationi in-seruiunt , infra locus erit commodior. hic verò de amplificatione rerum , quæ vt dixi ex ijsdem supra relatis locis peti-tur:

tur. maxime ex definitionibus conglobatis ex consequentium frequentatione &c.

§. I. DE AMPLIFICATIONE A
definitionibus conglobatis, à consequē-
tium enumeratione, à pugna contra-
riorum, à causarum genere, &
deniq; à descriptione.

A definitionibus conglobatis Cicerō amplificat laudem historiæ his verbis, *Historia vero testis temporum, lux versatris, vita memoria, magistra vita nuncia verus statu, qua vota nisi oratoris immortalitatis commendatur?*

A consequentium seu effectuum enumeratione hoc modo Sallustius inducit Catilinam loquentem. *Sic vincimus omnia nobis ruta erunt, commeatus abunde, municipia, atque colonia patrebunt: Sin metu cesserimus, eadem illa aduersa fient, neq; locum neq; amicis quisquam reges, quem armam non ickerint.* A plus

A pugna contrariorum ista est amplificatio. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Causas sic congerit Cicero, cum alijs me suspicione periculi sui non defenderent, alijs Veteris oniso bonorum incitarentur, alijs insidereut, alijs obstatere sibi me arbitrarentur, alijs vilesse dolorem suum aliquem vellent, alijs rem ipsam publicam, atq; hunc bonorum statum orsumq; odissent, & ob hasce causas tot, tamq; varijs me vnum deposcerent.

A Descriptione sic expugnatam ciuitatem amplificat Quintilianus. Apparebant effusa per domos ac templaque flamma, & ruentium rectorum fragor, & ex diversis clamorisbus unusquidam sonus. Aliorum fuga incerta, alijs in extremo complexu suorum coharentes, & infantium faminarumq; ploratum, maleisque in illum diem seruari fastenes: tum illa profanorum sacrorumq; descriptio, efferentium pradas, repetentiumq; def cursus, & ulli ante suum quisq; pradonem catenatis, & conaretinere infantem suum mater. & sic ab magna luxuria est, pugna inter victores,

Atque

Atque hoc modo ex omnibus alijs tam insitis quam remotis locis, fieri potest amplificatio.

§. 2. *DE MATERIA, TEMPORE, loco, & modo amplificationis.*

Materia amplificationis *magnas* res debet continere : *magna* autem res aliæ sunt ex sua natura aliæ ex usu humano. *magna* ex natura sunt, quæ ad Deum referuntur, item quæ causas habent obscuras, & quæ spariunt admirationem. Ex usu magnitudinem habent ea, quæ prodesse aut obesse possunt vehementius, Talia sunt caritas in Deum, patriam, & parentes: amor erga fratres, coniuges, ac liberos: honestas virtutum, præfertim earum, quæ plus conducunt ad humanam societatem. Ex his & cohortationes sumuntur, ad ea retinenda, & in eos à quibus ea violata fuerint o-

odia concitantur & miseratio oritur.

Locus amplificationis nullus est certus in omnibus enim oratoris partibus (propositione accepta ac narratione) adhibetur, maxime tamen viget in confirmatione, & adhuc magis in peroratione, præsertim post præmissas rationes quæ fidem fecerunt audientibus. in exordijs vero rarius adhibetur.

Tempus amplificationis est, cum res superius memoratae, & illis similes, aut amissæ sunt, aut saltem manent in metu amissionis. Sic M. Porcius Cato apud Sallust. *Expergiscimini (inquit) aliquando, & capite remp. non agitur de vestigib[us], non de sociorum iniurijs; Libertas & anima nostra in dubio est.*

Modus amplificationis in hoc consistit, ut nihil in ea nimis sit enucleatum, alioqui magnitudo rerum amplificationibus debita minueretur per nimias amplificationum minutias. Ad genera etiam

tiam causarum diligenter est in amplificationibus attendendum. Et sic in lauitione ea adducuntur, quæ mouent expectationem, ad mirationem, & voluptatem. In cohortationibus, bonorum ac malorum enumerationes, & exempla valent plurimum. In accusationem ea adferantur, quæ faciunt ad iudicium iracundiam. In defensionē, quæ flectunt ad misericordiam. Atq; hæc omnibus generibus sunt communia, iam videntur est, qnod in quoque genere causarum spectare debet orator. sit igitur.

Quæstio VI.

DE GENERE DEMONSTRATINO.

In hoc genere orator laudat bona & mala vituperat, orationeq; sua, quam solam audientium voluptatem querit;

C
pon-

pompam quandam, & ostentationem præ se fert. Et quia in laudem, non homines tantum, sed etiam aliæ res veniunt, idco sit.

§. I. DE LAVDE ET VITV- perio hominum.

Omnis quidem, sicut aliarum rerum, ita & hominum laus ex locis jam dictis sumitur; ex utilitate nihilominus dissentium est, apertius pro quo quis forsim genere præcepta tradere. Itaque locis illis ex quibus laus petitur duplia bona continentur. alia quæ extra hominem posita sunt, alia verò quæ ipsi insunt homini. Extra hominem posita sunt. Patriæ claritas, nobilitas ac vetustas familiae, educatio, opes, amici propinqui, potentia, gratia, fama, & his similia. Iam verò quæ insunt homini, alia ad animum spectant, alia ad corpus:

ad

ad animum, virtutes, scientiæ, artes, aliæq; dotes internæ: ad corpus; forma (sed hæc in fæminis magis laudatur viros enim neglecta decet) vires, valetudo &c. Obseruandum autem est, quod præcipuus ac vniuersus veræ laudis, fons, sit virtus, & honestæ actiones, cætera verò corporis & fortuita bona in tantum in laudem sunt, in quantum in eorum vsu ac moderatione virtus aliqua cernitur. Qui enim illa habuit laudabur, quod optimè illis vsus fuerit, qui non habuit, quod sapienter caruerit, qui amisit, quod æquo animo tulerit. Commemorantur etiam in laudew ea, quæ alicuius ortum antecesserunt, v. g. oracula, aut signa aliqua, futuræ claritatis jndicia, qualis v. g. fuit illa fax quam mater S. Dominici visa sibi fuit per quietem peperisse. Materia etiam laudis est, ipsa mors, si quid singulare in

illa contigit. item res quæ mortem cōsecutæ sunt, quales sunt, honores post mortem habiti, decreta virtutis &c. Denique laudantur conditores ab urbis, legislatores à legibus, inuentores ab artibus, parentes à filijs. Hinc Cicero de Sulpitio. *Nullum monumentū clavis S. Sulpitius relinquere potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantia pietatis, ingenij, filium ēc.*

Vituperationis eadem sunt præcepta quæ & laudis; tantum contraria adducuntur.

§. 2. DE LAVDE ALIARUM RERUM.

Præter homines laudantur virtutēs, artes, terræ, regna, Respublicæ, provinciæ, ciuitates.

Virtutum laus maximè cōsistit in eo quod earum usu homines vitam honestam ducant ac decentem, in communi-

con-

conuictu sanctè integrè verseutur, jura
societatis ac amicitiæ inuiolata feruent,
& denique ad quandam DEI immorta-
lis similitudinem accedant.

Scientiæ & artes laudabuntur, quod
cultum præstent humanis ingenijs eaq;
ad studium virtutum accendant, quod
miram hominibus concilient gratiam,
quod rebus publicis ciuitatibus, ac om-
ni humano generi, sint non inutiles mo-
do, verùm etiam necessariæ & saluta-
res.

Terræ laus est, cælum supra se cle-
mentius, aerem temperatum, agrorum
fertilitatem, amænitatem pratorum,
fontium salubritatem, & similia habere,
& denique fluuijs abundare & irriguam
esse.

Regna, respuplicæ, & prouinciæ,
laudem habent, ex amplitudine, re-
bus gestis, potentia, institutis, legibus,

C ; erdi-

ordine. item ex incolarum nobilitate, industria, fortitudine moribus, humilitate, cultu &c.

Ciuitatis laus dicitur, à conditoris, antiquitate, magnitudine, splendore, munitione, portibus, positione, diuinijs, commercijs. Item à ciuium politia, libertate, moribus &c.

Sub hoc etiam genere tradunt nonnulli præcepta quomodo laudandus est Deus. Sed sicut Sallustius olim de Carthaginē, silere melius putauit quam parum dicere ita ego, submissō silentio numen illud ineffabile adorare malo, quam alijs præscribere laudis illius modum, qui est laudabilis supra omnem modum.



Quæ-

Quæstio VII.

DE GENERE DELIBERATIVO.

Vt in genere exornatio, aut laudantur bona, aut vituperantur mala, ita hic aut utilitates suadentur, spe ad illas in audientibus excitata, aut ijsdem incusso metu, detrimента dissuadentur. Quæ ut commodè præstari possint: considerabit orator seipsum in primis & auditores, deinde id quod suadebit aut dissuadebit, tandem, ex quibus potissimum locis rationes ad hoc propositum desumendæ sunt.

*§. 1. QVID ORATOR IN SE ET
in auditoribus debet spectare?*

Circa se orator hæc perpendet, primo conditionem suam, vt plebeius ne sit, an nobilis? constitutus in aliqua di-

gnitate, an verò priuatus & ex medio populo. Deinde ~~aratem~~ considerabit, iuuenis ne sit, vir, aut prouectæ ætatis. Denique videbit quid apud audientes habet opinionis, & quæ ex illa sequitur, auctoritatis. Atq; ita si plebeius fuerit aut priuatus, ingeniouse & submissè in benevolentiam auditorum se insinuat, & orationem suam ad omnem modestiam temperabit. Iam verò nobilis, item indignitate constitutus, ætate, & auctoritate pollens, confidentius in suo negotio procedet, & stylum suæ personæ accommodabit.

Iuuenis autem orator ante omnia sumè sit in dicendo verecudus, tumorem orationis, consentaneum iuuentuti vitium vitet, & falsos etiam lepores omittat, hi enim à prouectis oratoribus sparsi condimenti instar habentur, à iuuenibus allati, leuitatis damnantur, eo quod

quod in hanc ætatem facile cadat huius
vitij suspicio. In auditoribus specta-
bit orator similiter *conditio*, post hanc
sexum, virine sint, an fœminæ, hæ enim
facilius mouentur, illi non item, dein-
de considerabit eorum indelem, studia,
propensionem, eruditionem vel simpli-
citatem, virtutes vel vitia. Et honesti
quidem, eruditæ, & generosi faciles ca-
piunt, motus, ob solius honestatis ra-
tionem. rudes verò, & qui solam spe-
ctant utilitatem, difficilium acquiescunt,
idque non nisi ob spem magnæ alicuius
utilitatis. Deniq; nosse necesse est rem-
pub. cuius præcipue triplex potest esse
esse status. Democratia, id est princi-
patus populi, Monarchia, id est vnius
principatus, & Oligarchia paucorum
administratio. & sic ad vnum quem-
que statum debet accommo-
di oratio.

§. 2, *QVID ORATOR SVADERE
aut disuadere debet, & ex qui-
bus locis?*

Negotia quæ in deliberationem ve-
niunt, non possunt certò definiri. varia
enim pro varietate temporum, locorum
& hominum possunt esse. Communi-
ter tamen ij qui rerumpub. curam ha-
bent, consultant de earundem salute, de
religione tuenda, de vitijs è repub. tol-
lendis de communi bong ciuium, de le-
gum obseruantia, de pace stabienda, de
bello aduersus hostes suscipiendo, de
fædere cum finitimis ineundo, de pro-
uentibus reip. augendis, de tributis au-
gendis vel minuedis, & his similibus.
Priuatarum autem suasionum materia,
est omnis res, quam quis vult alteri per-
suadere.

Iam verò in dissuasionem contraria
his

his veniunt, aut etiam ex ijsdem aliqua, propter contrarias tamen rationes.

Loci ex quibus suasionis eruuntur argumenta, sunt ijdem cum supra dictis præcipue tamen ad persuadendum sumuntur rationes, ab honesto, vtili, facili, jucundo &c. ad dissuadendum ab horum contrarijs.

Quæstio VIII.

DE GENERE IUDICIALI.

In iudicio fit accusatio reorum, si fuerint fontes, defensio, si innocentes.

In accusatione criminis adferuntur, & argumentis firmis ostenduntur commissa esse à reo. tandem iudices ad sæuitiam mouentur, & quod inde sequitur ad pænam de nocente sumendam. Motus autem in judicibus fit, si ijs apta amplificatione criminis immanitas, & singularis scelerati nequitia ante ocu-

los ponatur, item si doceantur ex im-
punitate rei, facile sequi mala exempla,
& bonos nusquam tutos esse posse à sce-
lere pessimorum.

In defensione innocentia rei ostendit
ur, obiecta crima diluuntur, si possunt,
si non possunt, tunc saltē extenuantur:
si nec hoc proficit: tunc de-
mum ad misericordiam tota oratio est
conuertenda & crimen ingenue confi-
tendū quod Cicero præstítit apud Cæ-
farem pro Ligario. his verbis. *Sed ego*
ad parentum lequor, Errauis, temere feci,
pœnitet, ad clementiam tuam configio, de-
licti veniam perso, Et ignoscas oro. Sic nemo
impetrauit, arroganter, si plurimi?
tu idem fer opem qui spem
dediti.



IN-

**INSTITUTIONVM
RHETORICARVM****L I B E R I I .**

Superiori libro explicata est inuen-
tio, præsenti explicabitur inuentorum
dispositio quæ ita necessaria est oratori,
sicut imperatori instruclio aciei: nam
sicut hic, etiam si lectissimos milites ha-
haeat, non potest tamen recte prælium
instituere, nisi illos optimo collocet
ordine, ita & orator, licet inueniat ra-
tiones fortissimas, nihil tamen ijs effici-
et, si non certo modo eas disponat. Fa-
cile autē totius dispositionis ratio per-
cipietur si prius intelligantur partes o-
rationis, quæ sex numerantur. Exordi-
um videlicet, propositio, narratio, cō-
firmatio, confutatio, & conclusio. A-
liqui confutationem includunt in con-
fir-

firmatione; eo enim ipso quod nostram causam confirmemus aduersam refutamus. Atque ita tractandum est hic de singulis orationis partibus, & ijs rebus simul, quæ faciunt ad melorem harum intellectum.

Quæstio I.

DE EXORDIO.

§. I. QVID SIT, ET QVID continere debeat exordium?

Exordium plerumque inchoat orationem, estq; pars orationis animum auditoris idoneè comparans ad reliquā dictiōnem. Comparantur autem animi, si benevolus, attentus, ac docilis auditor reddatur. Porrò benevolentia conciliatur commemoratione meritorum, officiorum, virtutum, aut nostrorum aut auditorum, si à persona no-

stra

stra aut auditorum fiet hæc captatio : si
verò à persona aduersariorum , men-
tio debet fieri contrariorum. Attentio
paratur promissione magnarum , & ne-
cessariarum ipsis auditoribus retum-.
Docilitas efficitur , clara statim ab ini-
tio , definitione , explicatione , ac diui-
sione causæ , quæ venit in orationem .

§. 2. *QVID SERVANDVM, AVT
vitandum est in exordijs.*

Vt commodæ quis orationem possit
ordiri , necesse est consideret genus
causæ , in quo versatur oratio . quin-
tuplex autem in præsentiarū genus hoc
potest esse . *honestum* videlicet , *humile* ,
dubium , *obscurum* , *admirabile* , alij sex-
tum addunt . *nimirum turpe* . Et *honestū*
quidem , ac *admirabile* , quod scilicet est
præter opinionem hominum , perse-
ipsum conciliat auditorem . In *humili*
autem

autem attentio est paranda , sicut in *dubio* benevolentia , & in *obscuro* docilitas. Porrò in *curpi* (si modo decet oratorem) singularis ars requiritur , ob idq; exordium in duas partes potest diuidi ; *in principiū scilicet & insinuationem.* *in principio* aperte benevolentia & attentio postulatur in *insinuacione* autem occul- tè , & quasi aliud agendo , maximè ve- ro vbi frons causæ non satis honesta est , vel quod res sit improba , vel quod ho- minibus parum probetur. Itaque pru- dens orator ab ijs que lœdunt, ad ea quæ profundit se conferet , & si causa labora- bit , à persona petet remedium , si verò persona , à causa opem requiret. Insi- nuationis etiam usus est , quando ad- uersarij oratio , animos auditorum oc- cupauit, aut quando dicendum est apud fatigatos : quorum primum, promitten- do nostras probationes , & aduersas di- luen-

luendo præstabimus , alterum efficie-
mus spe breuitatis, & ijs quibus attentus
fit auditor. Vrbanitas opportuna hic
locum proprium habet , & omnia ea
quæ tædium leuant auditoris. His no-
tatis,

Studebit orator facere exordia accu-
rata, acuta, instructa verbis & sententi-
is, & denique ad suam causam accomo-
data. In exordijs teste Ciçcrone leniter
est alliciendus aut incitandus auditor.

Vitia verò exordiorum quæ summè,
vitanda sunt. hæc numerantur. *Vulgare*,
commune, *commutabile*, *longum*, *separatum*,
translatum. *Vulgare* est quod pluribus
causis possit accommodari. *commune* est,
quod leuiter mutatum ab aduersario
pro contraria parte potest dici. *Longum*
est, quod plura verba & sententias quā
necessæ est, continet, *separatum* dici-
tur, quod nullam connexionem habet
cum

cum causa oratoris. *Translatur* est de-
nique, quod aliud conficit, quam ge-
nus causæ postulat, vt cū docilem red-
dit auditorem, cum causa postulet be-
nevolentiam, aut si principio utatur
pro insinuatione.

§. 3. QVALIA IN QVOVIS genere debet esse exordia.

In genere Demonstratiuo, opinione Aristotelis liberrima sunt exordia. nam & longe à materia duci, & ex aliqua re vicina possunt. Atque ita potest hic incipere orator, aut à causa, aut à circumstantijs, aut ab apophategmate, ab antiquitate, historia, exemplo, testimonijs, hieroglyphico, & his similibus.

In genere deliberatiuo, sæpe nulla, aut brevia debent esse exordia. non enim supplex orator venit ad iudicē, sed hortator & auctor; ideo proponet qua-

men-

mente quibusue de rebus dicturus sit, hortabiturque ad se breuiter dicentem audiendum.

In genere judiciali ex ipsis visceribus causæ sumenda sunt exordia, judices à laude sua conciliandi, lausq; hæc illorum utilitati causæ conungenda est. Alleganda est, pro honestis sua illis dignitas, pro humilibus, justitia, pro infelicitib⁹ misericordia, pro leſis feueritas &c. Non semper item in hoc etiam genere exordijs opus est: sed in honestis, paruis, & frequentib^{as} causis, omissio exordio, ab ipsa re licet inchoare. Cuendum autem est, ne in his exordijs cura & cultus notetur.

Quæſtio II.

DE PROPOSITIONE ET Narratione.

Propositio in qua orator summatis dicit

dicit orationis suæ argumentum; sic definiri potest. *Est cardo, seu summa futura orationis*: diuiditur autem propositio, in *simplicem & divisam*. *Simplex* propositio est, cum una res aut quæstio uno tantum membro breuiter proponitur. *divisa* propositio quæ & *partitio* vocantur, est, cum plures res pluribus etiam membris proponuntur. cuius exemplū est in oratione pro Lege Manilia ibi,
Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magistrudine, cum de imperatore diligendo esse dicendum,

Debet autem propositio esse paucorum membrorū, deinde clara, & membris rite disposita.

Narratio est rerum gestarum aut fictarū expositio, vel ut Cicero in Partitionibus est rerum explicatio, & quadam quasi sedes ac fundamenrum stabilienda fides. Virtutes eius præcipuae sunt quatuor. *brevitas, suavitas, claritas & probabilitas*, *Brevitas* ha-

habetur, dū simplicibus verbis, non tam
men inornatis, semel vnaquęq; res dici-
tur: *claritas*, ex usitatis verbis, recte q;
temporum ordine obseruato, & vitata
narrationis interruptione, nascitur.
Probabilitas consurget si personis, tem-
poribus, ac locis, ea quæ narrantur con-
gruent, si cuiusq; facti & euentus cau-
sa ponetur, si testata dici videbuntur, si
probitas narrantis significabitur, si or-
ationis veritas & vitæ fides. *Humanitas* in
ijs est narrationibus quæ habent admi-
rationes, expectationes, exitus inopi-
natos, interpositos animorum motus,
colloquia personarum, dolores, ira-
cundias, metus, lætitias cupiditates &c.

Quæstio III.

DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio est pars orationis per quam
argumentando, orator sua causa fidem auto-

ritatem, & firmamentum adstruit. Tota autem spes vincendi ratioque persuadendi in hac parte posita est. Positis enim nostris argumentis, & contrarijs dissolutis, fit satis muneri oratoris. Verum quia haec rite praestari non possunt nisi constitutio causæ cognoscatur, ac argumentandi ratio percipiatur, ideo sit

*§. I. QVID, SIT STATVS, QVO-
tuplex, quid ratio? firmamen-
tum, & iudicatio?*

Nomine *status* intelligitur illa quæstio quæ ex prima causarum pugna oriatur, ut si accusator dicat Insidiatus est Milo Clodio, & defensor neget insidiatum esse Milonem: ex hoc primo conflitu, nascitur illa quæstio, Insidiatus ne est Milo Clodio? atque haec quæstio vocatur *status*. ideo quod in ea tota causa consistat,

Triplex autem status est. *Coniectura-*
is nimirum, definitionis, & qualitatis. In
coniecturali quæritur. *An sit.* Ut an fue-
nit insidiatus Milo Clodio. In statu defi-
nitionis quæritur *Quid sit, & quo nomine*
appellantum, vt fuerit ne Cæsar Tyrannus
an dictator? In statu qualitatis, de ho-
nestate, utilitate, æquitate, & his con-
trarijs quæritur. vt rectene Horatius su-
am sororem interfecit? Hic status qua-
litatis duas habet. partes. *Absolutam &*
Assumptivam. *Absoluta* est cum ipsum fa-
ctum, sineulla ratione foris quæsita re-
cte factū esse dicitur. Ut si accusatus pa-
ter quod filium verberarit, respondeat,
licere filiū à patre verberari. *Assumptiva*
est, cum aliqua ratio affertur, vt iure fa-
ctum aliquid esse confirmemetur. Ut si
Horatius cædis sororiæ accusatus, iure
se id fecisse dicat, eo quod illa hostibus
patriæ fauerit. Atque talis excusatio, à
req

reo ad crimen depellendū allata *Ratio*, ab oratorib⁹ appellatur. illud verò quod ab accusatore contra eiusmodi *rationem* opponitur. *Firmamentum*, dicitur. Tandem ex *rationis* & *firmamenti* conflictione nascitur quæstio, quam Græci *Kris-nomenon*, Latini *sudcationem* dixerunt, in qua quid deueniat in judicium, & de quo disceptetur, quæri solet hoc modo.

Horatius cum fateatur se interfecisse fororem, nisi attulerit rationem, peruerit defensionem: igitur affert eam, illa inquit *hostibus patris fauit*; tum contra rationem defensionis, firmamentum ab accusatore subiicitur hoc modo. Sed non abs se occidi tamē neque indemnaram pœnas pendere oportuit. Ex conjunctione rationis, *sudcario* constituitur hoc modo. Cum dicat Horatius, se ideo sororem occidisse, quod ea hostibus patre fauerit, rectumue fuc-
à fra-

à fratre sine judicio Horatiam occidi.
Hac ergo ratione *indicatione* est inuenienda, ad quam omnis ratio totius orationis est conferenda.

Hi autem & similes conflictus, non tantum ex dictis contendentium, sed etiam exscripti interpretatione oriuntur. Sæpe enim scripta, *ambigua*, *discrepancia ac contraria* esse videntur. *Ambiguae* sunt ubi duplex sensus potest æque intelligi: ut quidam testamento iussit ponni statuam auream hastā tenentem; incertum enim est hic, an sola tantum hasta, an etiam & ipsa statua, debeat esse aurea. *Discrepancia* sunt, quando mens legis à scripto dispare prudentium, judicio censetur, ut si lex scripta sit talis. Si quis noctu iaculatus fuerit, capite plectatur: ciuis unus ad eum qui facies tectis urbis supponebat iaculat⁹ est, petitur ad supplicium, ille affert pro se

. D men-

mentem legislatoris. *Contrarietas* scri-
ptorum est, dum diuersa scripta non vi-
dentur inter se concordare. Ut lex est
vna. Tyrannus insepultus extra ciuita-
tem abijcitur. altera lex. Fulmine ta-
ctus, in eodem loco in quo tactus est se-
peliatur. Tyrannus in medio foro ful-
mine perijt; ciues ex priori lege inhu-
matum volunt esse Tyrannum, filius ty-
ranni, ex posteriori contendit, ut in fo-
ro sepeliatur. Denique contentio ori-
tur, dum vnu ex uno expresso scripto,
deducit aliquid, quod non est expresse
scriptum, propter aliquam rationem, al-
ter verò negat, scriptum ulterius quam
sonat, aut posse, aut debere extendi.
Bene igitur orator ad statum & judica-
tionem attendet, quo omnia argumen-
ta & rationes referet. Ad extremū ma-
gna diligentia argumenta collocare cu-
xabit; atque in primo quidem & extre-

mo loco firmissimas ponet rationes, mediocres verò si quæ erunt, in medio collocabit, strenui imperatoris exemplo qui fortissima virorum robora in primis & extremis constituit ordinibus, ijs quorum minor virtus est, in medio positis. Atque hæc de ipsis sufficient, iam quibus modis rationes, seu argumenta tractanda sunt, videndum est.

§. 2. *QVID SIT ARGUMENTATIO, ratiocinatio, enthymema, exemplum, induc^{tio}, Epicherema, Sorites, & Dilema?*

Dictum est superius, quod argumentum, sit ratio, rei dubiæ faciens fidem. in qua definitione vox (*dubia*) diligenter est notanda. indicat enim, quod ea quæ omnino, certa sunt, & omnibus nota, non sit necesse probare, sed ea quæ dubia, seu incerta, aut probabilia tan-

tum sunt. Observandum autem est, vt minus certa, per magis certa, & minus probabilia, per magis talia probemus; alias ineptum esset, obscurum per ignotum probare. *Certa* autem apud homines iudicantur in primis, quæ sensibus percipiuntur, visu, auditu &c. deinde quæ omnium hominum consensu & opinione sunt comprobata; vt Deum esse colendum, parentes esse honorandos. Certa item sunt, quæ legibus sunt constituta aut in consuetudinem introducta, si non omnium hominum, saltem eorum, vbi res agitur. Denique certa oratori existimada sunt, omnia; ea quibus nihil aduersarius contradicit. *Probabilia* existimantur esse ea, quæ vt plurimum contingunt. & triplex eorum genus est. primum firmissimum, quod semper fere accidit, vt liberos à parentibus amari. secundum non ita firmū, vt eum qui hodie recte valet, cras vieturū:

ter-

tertium adhuc minus firmum. ut si quis dicat de alio , fuit in popina , ergo ine- briatus est. His itaque de certis atque probabilibus notatis, facile est iudicare, quæ sunt incerta & minùs probabilia.

Iam verò argumentatio , nihil est a- liud quam argumenti explicatio , sen- rationis artificiosa expositio, quæ à va- rijs modis , varia habet nomina : nimi- rum syllogismi, ratiocinationis, enthy- mematis &c,

Et Syllogismus quidem est argumen- tatio, tribus constans propositionibus: quarum prima à Dialecticis *Maior*, alte- ra *Minor*, vltima *Conclusio* dicitur. Eius exemplum hoc potest esse. Illud quod facit ad beatè viuendum , exquirendum est. Virtus facit ad beatè viuendum. I- gitur virtus est exquirenda. Cui sylla- gismo si ynam propositionem detraxe- ris , & sic v. g. dixeris. Virtus facit ad

beate viuendum, ergo est exquirenda, imperfectū syllogismum seu *Entymema* habebis. Si verò eidem syllogismo addideris duas propositiones, quarum altera maiorem prioris syllogismi, altera minorem propositionem confirmet efficies *Ratiocinationem*. cuius exemplum potest esse istud.

Illud quod conduit ad beate viuendum, exquirendum est. quia eo acquisito facilius beatitudo vītæ habetur; sed virtus plurimum confert ad beate viuendum: nam rectam viam, & honestam viuendi rationem monstrat. ergo virtus est exquirenda.

Diligenter autem attendat orator, ne semper eodem ordine ponat propositiones, scilicet *Maiorem* primo loco, secundo *Minorem*, tandem *conclusionem* ut Dialectici faciunt. Sed interdum inchoabit

abit etiam à Conclusione quæ & *complexio* dicitur. interdum à *Minore*, quæ *Affumptio* quoque vocatur. Alioqui si-
ne variatione, nimia copia adferret au-
ditoribus fastidium.

Exemplum, est argumentatio, in qua
vnum ex alio infertur propter similitu-
dinem, vt si dicas Maximam laudem me-
ruit Horati⁹, ob patriam fortiter defen-
sam, ergo & tu, si veræ laudis studio te-
neris, strenuè pro patria pugnare debes.

Aduerte autem, si ex vna tantum re
simili, infertur etiam vnum. Exemplum
uocari; si autem ex pluribus rebus simi-
libus aliquid inferatur. *Inductionem*
appellari. vt si dicas Nullam pœnam me-
ruerunt *Ahala* *Seruilius*, *Publius Nasica*. &
L. Opimius, quod sceleratos interfecissens.
ergo nec Mſto nullam pœnam luere deberet, quod
occiderit *Clodius*, hominem pessimum, erit
inductio. Atq; in has partes omnis ar-

gumentatio diuiditur. Cæteræ, vt *Epi-cherema*, *Sorites* & *Dilema*, ad has ipsas reduci possunt.

Epicherema enim nihil aliud est, quam ratiocinatio breuiter comprehensa, cuius omnes partes in vnam conferuntur. Sic, Cicero pro rege Deiotario En crimén en causa cur regem fugitiuus, dominum seruus accusat? in quæ Epicheremate talis continentur argumentatio. Sine causa non debet seruus dominum accusare, hic medicus est seruus Deiotari, ergo eum non debet sine causa accusare. *Sorites* est plurium argumentationum coaceruatio. Sorite, Diogenes omnia sapientum esse probabat. Sic Deorum amici sunt sapientes & amicorum communia sunt omnia, sapientum igitur sunt omnia.

Dilema est ratiocinatio imperfecta, quæ à duabus partibus contrarijs ducitur,

tur, atque ex eo quod vtraq; parte premat, cornutus syllogism⁹ est appellata. Eius exemplum est pro Roscio Comædo ibi *Nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti: Fecit pactionem. num tabulas habet, an non? si non habet, quemadmodum pactio est? haber, cur non nominas?* Dilema verum nunquam reprehendi potest, falsum autem, aut conuersioe, aut alterius partis confirmatione diluitur. Itaque ad istud v. g. dilema *si leuis est dolor dis crucias, si summus, breui hominem conficit, sic per conuerzionem potest responderi. Si summus est dolor non dis crucias, si leuis, non facile hominem conficit.* Alterius partis confirmatione, hoc exempli causa dilema (*Lætina Philosophia Graece eruditis non est necessaria, Gracas vero litteras ignorates, nec latinam Philosophiam curant*) sic diluitur. Et si Græcarum literarum peritis Latina Philosophia minus est necessaria, earum tamen ignaris non erit ea inutilis.

Hos argumentandi modos diligenter teneat orator, eosq; in oratione variet, curetq;, ne continuo, ex syllogismis syllogismos, aut Enthymemata ex Enthymematis trahat, quod ut Dialecticæ est consuetum, ita à Rhetorica alienum.

Quæstio IV.

DE CONFUTATIONE ET Peroratione.

Confutatio est pars orationis, qua aduersariorum argumenta reprehendimus ac disimus; hæc cum non sit à confirmatione diueria, vt dictum est, ideo eadem doctrina circa hanc debet esse, quæ etiam est circa Confirmationem. Hoc tamen hic notandum est peculiariter. pri-

mo

mo, vt quando non possumus totum id negare quod obiectum est, saltē id negemus, quod negari potest. Totū negatur, quando totū falsum est, quod asseritur, in parte negatur, quando ad partem veri aliquid falso apponitur, nam si vel in parte falsitas ostenditur, in toto fidēs aduersarij aliquomodo infirmabitur. Deinde vt ostendamus si possumus, non facere contra nos quidpiam eorum, quæ attulit aduersarius. Tandem vt singula quæ nobis objiciuntur, discutiamus, & diluamus, nisi forte friuola eaq; plurima fuerint ab aduersario congettata, qua occasione non est necesse, cum singularis congregati, sed uno, alteroque discuso, cætera contemnamus.

Peroratione seu conclusione tota oratio terminatur. Hic eloquentia omnes vires suas intendit, hic amplificatio, hic motus locum habent, qui vt faciliter

us excitentur præter alia quæ alibi dicta sunt, perutile est, vt orator ijsdem animi motibus quos excitare volet in auditoribus, ipse afficiatur. ad quod mirum in modum cōducit, ipsas imagines rerū absentium ita complecti animo, vt eas cernere oculis ac præsentes intueri videamur. Cæterum hic in genere encomiastico, enumeratio interdum adhibetur, sicut etiam (rarius tamen) in genere suasorio, & in accusatione, non item in defensione. Fit autem hæc enumeratio, seu repetitio, quando auditor propter longitudinem oratoris existimat non amplius dictorum reminisci, vel quando ex repetitis firmamentis, maius causæ robur speratur. Porrò repetitio hæc quam breuissima esse debet, & quæ tantum prius dicta innuat, non verò iterum recenseat. alioqui, non enumeratio, sed altera per repetitionem fie-

fieret oratio : in quo negotio maxima est ratio habenda , sententiarum, figurarum, & variationis. Ad extremum cauendum est, ne aut nostram memoriam ostentare , aut auditorum memoriae diffidere videamur.

INSTITUTIONVM RHETORICARVM

L I B E R III.

Duobus prioribus libris, duas Rhetoricæ partes, Inventionem scilicet, & Dispositionem explicuimus. hoc posteriori, agendum est de tribus reliquis eiusdem Rheticæ partibus. nimirum, de elocutione. Memoria & Pronunciacione.

Vt autem ab Elocutione incipiam, ea est à qua orator eloquens dicitur, estq; pta omnibus alijs eidem oratori necessaria,

faria , ac continua exercitatione comparanda. Eloquens verò Cicerone judice, est is, qui dicendo probat, delectat & flectit , sed probare necessitatis est, delectare suavitatis , flectere victoriæ. Ante omnia autem curandum est, vt latine plane , ornate , & ad id de quo agitur apte congruenterq; dicamus. hoc est , vt in elocutione ad puritatem sermonis attendamus ; vt aperte seu clare dicamus , vt quam cultissimam orationem instituamus, & deniq; vt omnia ad propositum scopum quam rectissime dirigamus. Porrò cultus iste, partim ex rebus partim ex verbis consurgit ; ex rebus, quando ipsa causa de qua agitur habet suam dignitatem ; ex verbis, quando res eleganti & ornata dictione tractantur. Verba autem à Rhetoribus, alia simplicia dicuntur, alia verò coniuncta. Nomine simplicium , intelli-
gun-

guntur voces separatim ac solitarie sūptæ: nomine verò coniunctorum. Tropi, ac Figuræ comprehenduntur, de quibus singillatim agendum est.

Quæstio I.

DE VERBIS SIMPLI- cibus.

Verba hic non accipiuntur strictè & Grammaticè, pro vna certa ex octo partibus orationis, sed largius, pro quibus uis nimirum vocabulis. Hoc autem modo sumpta verba, diuiduntur, in elegancia, Latinisque scriptoribus probata, ac in his contraria. Elegantia illa sunt, pro quibus idoneorum auctorum militat auctoritas: inter quæ alia iterum sunt consonantiora ut quamquam moderatio: alia leviora, ut *Etsi modestia*, alia grandiora, ut *solerare, calamitates*: alia minus grandia: ut *sustinere incommoda*, alia missiora ut *bona*.

bos. alia minus nisi da ut *Vacca*. In vniuersum bonitas verborum consistit, in bono ac iucundo sono. Iam verò verba his contraria & oratori vitanda hæc sunt. *Barbara*, *nous*, *Poetica*, *sordida*: *Barbara* sunt, quæ non sunt latina, vt *gaza*, *cathedra*, *clepsydra*, *inustara* seu *obsoleta* sunt, que apud probatos auctores non facile reperiuntur, vt *oppido prostatim*. *Nous*, quæ ab ipso qui dicit fiunt vt *expectorare*, *murmur* &c. *Poetica* sunt, quæ recte in versu usurpantur, non in oratione soluta, aut certè admodum raro, & loco apto *sordida* sunt, quæ sordidas res significant. Vide his plura apud Ioannem Herbetium lib. 4. de Oratore.

Quæstio II.

DE TROPIS.

Tropus est verbi vel sermonis à propria significacione, in aliam, cum virtute mutatio:

vt

vt cum dicimus *prata ridere*, verbum *ridere*, à propria significatione risus in homine, ad prata, cum virtute transfertur, in quibus significat amoenitatem, quæ est risus quidam pratorum. Hac definitione Tropi posita

Quinq; tantum tropi statui possunt. *Metaphora* nimirum, *Synecdoche*, *Metonymia* *Metalepsis*. & *Hyperbole*. *Cataphrasis* verò & *Allegoria*. Metaphoræ sunt species, *Onomatopæia*, quæ est vocis ad imitationem aliquā fictio, nō potest sibi vendicare tropi definitionem, cum non sit verbi aut sermonis, à propria significatione ad impropriam cum virtute translatio: quam etiam ob causam *Periphrasis*, *Hyperbaton*, & *Anonomasia* nequeunt inter tropos numerari. In Periphtasi enim, tantum pluribus verbis dicitur, quod potest paucioribus expediri, in Hyperbato, solus ordo Grammaticus

trans-

transponitur , vt patet ex particulis. *Mecum* , *Tecum* &c. *Annonomastia* verò nihil vertit, sed est denominatio quædam, ab aliqua causa aut excellentia. quo pacto Euersor Carthaginis significat Scipionem qui Carthaginem euertit. Orator Ciceronem. Poeta apud Latinos Virgilium , apud Græcos Homerum Vrbs Romam. Philosophus Aristoteli. Apostolus , S. Paulum. Deipara , Beatissimam Virginem MARIAM. Hæc ergo & similia snt quædam Schemata diuersi generis à tropis,

§. I. DE METAPHORA.

Metaphora seu translatio est , cū vox transfertur à propria significatione ad impropriam significationem propter similitudinem. vt *Cruas deo viridisq; senectus*. Vox *viridis* , transfertur à propria significatione vigoris in plantis , ad significandas robustas vires infene.

Mul-

Multis autem modis fieri potest, sed præcipue quatuor. *primo* quando aliquid transfertur à non animali, ad non animal, ut studia florent. *secundo* quando ab animali ad animal, ut latrat obtrectator: *tertio* quando ab animali ad non animal, ut iratum mare. *quarto* à non animali ad animal, ut fulmen belli Scipio. Metaphora quæ modesta ac verecunda est, per Antonomasiam *Metaphora* vocatur quæ vero liberior ac audacior est, *Carachresis* appellatur, ut vires, hominis brues.

Ad Metaphoram etiam pertinet *Allegoria*, quæ nihil aliud est, quam continua & diu ducta Metaphora. Definitio eius communiter hæc traditur, quod sit tropus in quo aliud verbis, aliud sensu, aut etiam contrarium ostenditur ut virgilius.

Claudire iam rimos pueri, sat prata bibent;

Vbi

Vbi aliud propter similitudinem intelli-
git, & aliud dicit, intelligit enim ceſſan-
dum esse à carminibus fundendis, dicit
verò claudendos esse riuos, quos rusti-
ei irrigatis ſufficienter pratis, ſolent oc-
cludere.

Allegoria alia eſt aperta; alia obſcu-
ra. Sola aperta Allegoriæ nomine voca-
tur, obſcura verò *anigma* appellatur, &
vitium eſt apud oratores, poētæ tamen
utuntur. Virgilius.

*Dic quibus in terris Eſteris mihi magnus
Apollo*

Tres pareat caliſpatiū non amplius ulnaſ.
Item Allegoria alia eſt in qua contrari-
um eius quod dicitur, intelligitur ſine
ulla irriſſione ſubintellecta, alia verò in
qua aliud dicitur, & aliud contrarium
intelligitur, cum aliquo ſigno irriſionis.
Prior Allegoriæ nomen retinet, posteri-
or *Ironia* vocatur. Exempla Ironiæ plu-
rima

rima sunt, tam apud poetas, quam apud
oratores. Cicero ad Pisoneim. *Idemq; rī
elementia ac misericordia singularē, cum ego
vna cum rep, non tribunis, sed consularis ietis
concidissim; tanto scelere, tantaq; intempe-
rantia fuisti, ut neq; vna horam interesse pa-
terere, inter meam pestem, & suam pradam.*

Commodissimè hic monet P. Soari-
us, vt quo genere cæpta est translatio,
eodem & desinat; quod Virgilius ele-
ganti illo præststitit exemplo, in quo ri-
vos claudi mandat, quiā satis prata bibe-
tunt. Multi namq; inepte initio, à tem-
pestate sumpto, incendio aut ruina fini-
unt. sicut & ille fecit qui amico scripsit,
se in puluere Mathematico primam gla-
ciem frangere.

§. 2. DE SYNECDOCHE ET *Metonomya.*

Synecdoche, Latinis intellectio, est tro-
pus, in quo ex parte totum, aut econ-
tra

tra, aut sequentia ex antecedentibus intelliguntur. quod fere septem modis accidit. Cum ex uno plura intelliguntur, ut Romanus prælio victor, ubi Romanus pro multis Romanis intelligitur. Item cum ex multis unus intelligitur, sic Alexander ad Attalum. Improbum caput, nos vero tibi nothi videmur? pro. Ego ne tibi nothus videor? sic etiam Cicerones, Marones &c. plurari numero positi. Vnum Ciceronem, Maronem significant. Ex parte quoque totum, & ex toto pars intelligitur. Sic per carum caput, carus homo, & per fontem aqua, quæ est pars fontis, intelligitur. Per speciem etiam genus, & per materiam, res confecta, significatur. Prioris exemplum est, si v.g. Auster pro quibus uento sumitur, posterioris; cum æs pro pecunia ponitur. Deniq; ex precedentibus sequentia monstratur, ut cum vespertinum

v. g. tempus , per præcedentem redditum ex labore boum, intelligitur. vt videre licet in illo Virgili versu.

Aspice aratra ingo referunt suspensains uencis.

In huius etiam tropi usu , liberiores sunt poetæ quam Oratores.

Meronymia est tropus , in quo causa per effecta , & contra , vel ex eo quod continet , id quod continetur , vel contra , vel res è signo intelligitur. Fit autem multis modis. Cum inuentor pro re inuenta ponitur. vt Musæ, pro literarum studijs. Bacchus pro vino. Ceres, pro pane, Venus pro libidine. Hinc Comici illud *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Item cum auctor pro opere usurpatur. quo sensu dicitur. Cicero semper habendus est in manibus, id est liber Ciceronis. Item cum per contentum res continentis significatur , vt apud Virgili-

um dicitur , *Ardet Vcalegon* , id est Vcalegontis domus & econtra, cum per continens contentum intelligitur. vt tota ciuitas obuiam processit:imperatori. Ciuitas sumitur pro ciuibus in ciuitate contentis. Item cum causa pro effetu ponitur. & ita dicitur turpis egestas, quod sit interdum occasio turpitudinis; Pallida mors , quod membra pallore inficiat. Denique cum dux accipitur pro subiectis sibi militibus , quo sensu dicitur , Drusus gessisse bella sub Alpibus. Ad extremum cum aut signum pro re signata usurpatur, vt est illud apud Ciceronem ; *Cedant arma toga*: vbi toga pro pace cuius est signum , ponitur, aut quando adiunctum (si ita loqui fas est) loco subiecti dicitur. sic dicimus scelus esse puniendum, id est sceleratum , qui est subiectum sceleris,

§. 3. DE METALEPSI
& Hyperbole.

Metalepsis seu transumptio est tropus, ex alio in aliud quasi viam præstans. Trop⁹ hic est rarissimus, & maxime impræprius. Seneca in Thebaide tres annos hoc tropo ita effert. *Bruma ror posuit niues, Et tercia iam falce decubuit seges.* Vbi per gradus, à segetibus ad æstates, ab æstatibus ad annos, fit accessus.

Hyperbole est eminens superiectio cuius virtus est ex aduerso, par augendi ac minuendi. Ex hoc tropo nauis celeritatem auget Virgilius. *illo loco*

*Illa Noto citim voluerisq; sagitta
Ad terram fugis.*

Minuendi exemplum, apud eundem etiam Poetam est illud. *Vix ossibus harense* Tam in augendo quam in minuendo, modus seruetur necesse est. Licet enim

E Hy-

Hyperbole vltra fidem est , non tamen debet esse vltra modum.

Quæstio III.

D E FIGVRIS.

Figura est conformatio quædam orationis, remota à communi & primum se offerente dictione. Differt autem à tropo , quod hæc proprijs verbis fieri possit, tropus verò non nisi translatis. Sæpe tamen euenit, vt in vnam eandemque sententiam & figura simul, & tropus coincidant. vt Valeant ciues mei, sint incolumes, sint florentes. sint beati. *Florentes* est tropus , scilicet Metaphora , *sint*, ter positum , repetitionis figuram constituit.

Diuiduntur autem figuræ, in figuras verborum & sententiarum. Verborum in certarum vocum certa colloquione

consistunt. vnde mutatis vocibus, ipsæ etiam figuræ tolluntur.

Figuræ verò sententiarum, in certo sensu hæc sunt. proinde etiamsi verba mutentur, manente sensu incolumi, ipsæ quoque figuræ manebunt. vt *Quid proxima, quid superiore nocte egeris, quid consilij ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?* est & repetitio figura verborum, & *interrogatio* figura sententiarū. Cuius exempli si verba hoc modo mutetur. *Quid proxima superioreq; nocte egeris, consilij ceperis, quem nostrum existimas ignorare?* perit repetito, salua interrogacione relicta.

Iam verò figuræ verborū tribus potissimum modis fiunt: per *adseptionem* scilicet, *distraccionem*, & *similitudinem*.

Per *adseptionem* verba adiiciuntur, vt *vos vos* inquā ipsi, & *senatus* frequens restituit. Vbi ad verbum *vos*, figure alterum *vos* adieclum est.

Per detractionem verba detrahuntur.
 Vt. Pater occisus est nefariè , domus
 obfessa ab inimicis, bona adempta, pos-
 sessa , direpta , filij vita infesta. in quo
 exemplo coniunctiones detractæ sunt.

Per similitudinem verba aliquomodo
 sibi similia ponuntur. vt Collatis si-
 gnis fortiter in acie pugnauit, hostes
 debellauit, & tandem victor triumpha-
 uit. Sed de figuris verborum paulo in-
 ferius. nunc sit.

§. I. DE FIGVRIS SEN- tentiarum.

Interrogatio figura est, cum non quæ-
 rendi causa sed instandi assumitur. vt
 Quid tibi diuitijs opus est , quæ te esu-
 rire cogunt? Exprimitur etiam per hanc
 figuram *contempns.* vt in sacris. Quis est
 Dauid & quis est filius Ifai! ? Item, *in-
 dignatio* vt Aneid. I.

Et quisquam Numen Iunonis adoret?
admis.

Admiratio etiam commiseratio ac magnificētia hac ipsa figura explicatur. Admirationis exemplū est illud apud Virgilium *Quid non mortalia pectora cogis aure sacra famas?* Conmiserationis illud

Heu qua me Tellus (inquit) qua me aquora possunt accipere?

Magnificentiae deniq; istud

Quis te magne Cato tacitum aut te Coffe relinquit?

Responso est cū aliud interroganti, ad aliud, quod magis ita causæ cōducat respondetur: tum augendi criminis causā, vt Testis in reum rogatus, an à reo fustibus vapulasset? & innocens inquit: tum declinandi, vt, si quærenti an occiderit hominem, respondeatur, *latronem.*

Subiectio est, quæ in se interrogacionem, simul & respcionem continet. vt *Quid habes cur tam sis insolens? natum splendorem? atqui genere es obscurissimo: opes? at vel Iro pauperior es.*

Occupatio est, qua præoccupamus ea quæ aduersarij erant dicturi, vel etiam quæ auditores contra nos suspicantur, vel denique rationem, quæ contra nos tanquam firmissima præparata est, & nondum obiecta soluimus. Ut si dicas. Quoniam huic rationi maxime confidis, nunc demonstrare aggrediar, vel hanc rationem, multò reliquis esse inferiorem. Est etiam insigne huius figuræ exemplum Diuinatione in Verrem statim ab initio orationis,

Correctio est, quando vna sententia, per aliam, aptiorem, vel verbum, per aliud commodius corrigitur. Sententiam corrigit Cicero sic Clodium proscindens. *Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro; fratrem volui dicere: semper hic erro.* Verbum vero corrigit in Epist. fam. ibi *Ego omni officio ac potius pietate,*

Dubitatio est, cum orator in ijs rebus
in quibus certum habet consilium, du-
bitare se ostendit vt O. Q. Catule (pa-
trem ne appellem an filium ? recentior
memoria filij est, & cum meis rebus ge-
stis coniunctior) tantumne te fefellit ?
&c.

Communicatio est, cum auditores, aut
etiam ipsos aduersarios consulimus. Ve
Nunc ego iudices iam vos consulio, quid
mihi faciendum putetis.

Protopopaea est, personarum ficta indu-
ctio. vt, Patria tecum Catilitina sic agit
& quodammodo tacita loquitur. Nul-
lum iam tot annos facinus extitit nisi
per te, nullum flagitium sine te, tibi vni
multorum ciuium neces, tibi vexatio,
direptioque sociorum impunita fuit ac
libera. Figura est grauis, plurimum ad
motum conducit, sed magnum requirit
iudicium, vt pro conditione fictae per-

sonæ apta quoque oratio instituatur.'

Apostrophe est auersus ab institutæ orationis cursu sermo, ad aliquas certas personas, Auditorum v. g. aut aduersariorum. &c. ita Cicero in defensione, Roscy Amerini ad Erutium accusatorem conuertit orationem. ibi, Hæc tu Eruti, tot & tanta si naclus fuisses in reo, quam diu dices?

Hypotyposis seu descriptio est, quando res sive præterita, sive præsens, sive futura, ita verbis exprimitur, ut cerni potius quam audiri videatur. Exemplum eius habet Orichouius oratione de bello aduersus Turcas. vbi eos ita describit. Vultum eorum recordamini, quam ferus sit & barbarus, quam minarum plenus, more pecudum caput consum, atque linteis inuolutum, minax semper frons, furiosa facies, truces oculi, detonsa barba, labrum ferali conuestitum pilo

pilo, inhumanum os, furore, libidine, & amentia plenum. ad hæc mollis & ad talos demissa vestis, totum tegens corpus ne qua forte pars in in ijs appareat homine digna.

Ad hanc figuram reuocari potest Ethopæia. nam si est aliqua diuersitas, illa potissimum est, quod Hypotyposis qualunque res exprimat, Ethopæia vero tantum mores, aut vitam alicuius effingat Exemplum eius est. pro Cluentio ibi Atque hæc iudices facile credetis quæ verè dicuntur à nobis, si cum animis vestris recordari Cai Staleni vitam & naturam volueritis: nam perinde ut opinio est de cuiusque moribus, ita quod ab eo factum & non factum sit existimari potest: cum esset, egens, sumptuosus, audax, callidus, perfidiosus, & cum domi suæ miserrimis in locis, & inanissimis, tantum nummorum possum vi-

deret, ad omnem malitiam, & fraudem versare mentem suam, hæc secum cogitans cœpit. Demnè iudicibus? mihi igitur ipsi præter periculum & infamiam quid quæretur? Nihil excogitem quamobrem Oppianicum damnari nesse sit, quid tandem (nihil enim est, quod fieri non possit) si quis eum forte casus ex periculo eripuerit, nonne reddendum est? præcipitantem igitur impellamus inquit, & perditum prosternamus &c.

Aposiopesis, quæ & *Eclipsis* Græcè, Latine *præcisio* dicitur, est, quando sermo qui ulterius trahi potuit, in media quasi sui parte, ob affectum interrumpitur. ut Errauit, lapsus est, non putavit, si vñquam posthac, ad parentem sic agi solet. Item apud Virgilium.
Quos ego: Sed moros præstat componere fluctus.
 Et in sacris Et anima mea turbata est
 valde,

valde , sed tu Domine usquequo?

Sustentatio est, quando diu auditorum animi suspenduntur, & tandem aliquid inexpectatum affertur. ut Cic. in Verrem. Quid deinde , quid censetis ? furtum fortassis aut prædam aliquam. Ecce sic postquam animos audientium tenuisset subiecit quod multo esset improbius.

Præteritio quæ etiam prætermissio & reticentia dicitur ; est, cum dicit orator se præterire, aut non scire, aut nolle dicere , quod tunc maxime dicit. Cic. Prætereo ea quæ prætereunda non sunt, nullum huius in priuatis rebus factum auarum , nullam in re pecuniaria contentionem , nullam in re familiari sordem posse referri.

Licentia est , cum apud eos quos aut reuereri, aut metuere debet orator , tandem aliquid jure suo dicit, quod eos minimè offendat. Cic. Vos patres Con-

scripti (graue dictu est, sed tamen' di-
cendum) vos inquam Seruium Sul-
pitium vita priuastis.

Concessio est cum etiam iniquum ali-
quid fiduciae causa concedimus. Fit au-
tem & sine, & cum Ironia. Exemplum
sine Ironia apud Cic. pro Rosc Amer.
ibi: Esto causam proferre non potes, ta-
metsi statim vicisse debeo, tamen de
meo jure decedam, & tibi quod in alia
causa non concederem, in hac conce-
dam, fretus huius innocentia; non
quæro abs te quare patrem Sex Roscius
occiderit; quæro quomodo occiderit?
Exemplum cum Ironia est apud Virgili-
um, vbi Dido cōcedit Æneæ discessum.

- - - *Neg, se teneo, neq, dicta refello.*
I sequere Italiam, pete regna per fundas.
Concessioni affinis est *Permissio*, fitque
quando fiducia cause, ostendit se orator
suum negotiū tradere iudicibus. vt Sed

ego

ego iam iudices, sumum ac legitimum
meæ causæ ius, omitto, vobis quod æ-
quissimum videtur, ut constituatis per-
mitto.

Parenthesis, quæ interpositio, & in-
terclusio à Quintiliano dicitur est,
quando in medium institutæ oratio-
nis, breuis aliquis, isq; aliquomodo
djuersus inseritur sensus. vt. Hæc
ille reputans, & dies & noctes cogitans,
non modo tibi nō succenset (esset enim
non solum ingratus, sed etiam amens)
verum omnem tranquillitatem & quietem
senectutis, acceptam refert clemen-
tia tuæ.

Deprecatio, siue obsecratio, siue ob-
testatio, dicitur quando in oratione
preces adhibentur. vt Parce precor, &
per ea quæ tibi dulcissima sunt in vita,
miserere nostri, noli extinguere, extin-
ctos.

Opuscula

Opratio est quæ præfert notam voti alicuius. vt. Utinam Cnei Pompei, cum Cæsare societatem, aut nunquam coiffes, aut nunquam diremisse: fuit alterum grauitatis, alterum prudentiæ tuę.

Epiphonema est rei explicatæ summa acclamatio. vt

Tanquam molis erat Romanam condere genos
scem

Exclamatio, est, quæ doloris, indignationis aut alicuius alijs affectus cōficit significatiouem. vt Proh Dij immortales, tantam ne vnius hominis incredibilis, ac diuina virtus tam breui tempore lucem afferre reip: potuit?

Distributio est, quando aliquid in plures partes distribuitur. vt Quo me dolore affici creditis, cum alios male sentire, alios nihil omnino curare videam, alios parum cōstanter in suscepta causa permanere, sententiam suam, non semper

vti-

vtilitate reipub. sed cum spe, tum timore moderari.

*§. 2. DE FIGVRIS VERBORVM
quæ fūnt per adiectionem.*

Repetitio est cum ab eodem verbo saepius ducitur oratio, ut Acta est causa, sine vi, sine metu, sine periculo.

Connexio est cum in idem verbum saepius exit oratio, ut Quo tempore concordia de ciuitate sublata est, libertas sublata est, fides sublata est, amicitia sublata est, respub sublata est.

Complexio est, quæ repetitionem, & conuerzionem complectitur. ut Quem Sénatus damnarit, quem populus Roman⁹ damnarit, quē omniū existimatio damnarit, eū vos sententijs absoluetis?

Geminatio seu conduplicatio est, quando verbum aliquod in oratione geminatur. Aliquando autem inter gemina-

minationem aliqua verba interyciuntur vt.

Multa super Priamo rogans, super Hectorremulta.

Aliquando nulla: vt Filiam filiam inquā ærumnoso parenti Deciane redde. *Polyprotos* est cum vnum verbum sæpius in oratione variatur. Vt si quem infimo loco natum, nulla commendatione famæ defendarem, tamen ciuis ciuem à ciuibus, communis humanitatis iure, ac misericordia deprecarer. Huc etiam spectat *Traductio*, quam quidam diuersam à Polyptoto figuram statuunt. Eius exemplum est apud Cornificium istud. Eum tu hominem appellas, qui si fuisse homo nunquam tam crudeliter vitam hominis appetiuisset. Ponitur etiam in hac figura vnum verbum sæpius, in diuerso sensu. vt Veniam ad vos, si mihi dabitis veniam. verum in hoc posterio.

fteriori sensu , est quædam leuitas gra-
uitati Oratoriæ contraria.

Gradatio est quando oratio per repe-
tita dicta , quasi , per gradus ascendit.
vt Quid est aliud , non pacem facere ,
sed differre bellum , nec solum propa-
gare bellum , sed concedere etiam victo-
riam . Poteſt etiam Gradatio fieri figu-
ra ſententiarum , quando videlicet non
tantum verbis , ſed etiam rebus , affur-
git , aut descendit oratio . vt cernere eſt
in oratione pro P. Quintio ibi : Mife-
rum eſt exturbari fortunis omnibus , mi-
ſerius eſt iniuria &c.

Sinonyma eſt , quando plura verba i-
dem ſignificantia pōnuntur. vt Abijt ,
excessit , erupit , euafit.

Polysynderon eſt quando , plures con-
iunctiones coaceruantur. vt Audentes
Sorsq; Deusq; juuat.

§. 3. DE FIGVRIS VERBORVM,
quæ fiunt per detractionem.

Synechdoche est, quando subtractum verbum ex cæteris sufficienter intelligitur. vt Cic. ad Brutum. Sermo nullus, scilicet nisi de te. subintelligitur. *Eſt.* Differt hæc Figua ab Aposiopesi, quod in hac, vnum, & manifestum verbum desideretur: in Aposiopesi vero, aut in certum est quod tacetur, aut pluribus verbis explicandum.

Dissolusio est, cum multa sine coniunctionibus dicuntur. vt. Non enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ quæ vulgo existimantur. Labor in negotijs, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo.

Adiunctio est, quando ad vnum verbū plures sententiæ referuntur. vt Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit. *Di-*

Disiunctio est quando singulæ sententiæ singulis verbis clauduntur. ut viicit seueritate Catonem, Clementia, Cœfarem superauit.

§. 4. *DE FIGVRIS QVÆ FI-
unt per vocum similitudinem*

Paronomasia Græcè, Latinè *anomia-*
natio est, cum paululum immutata verba, aut deflexa, in oratione ponuntur. Quod fit multis modis. *Adiunctione* vt. Hic sibi posset temperare, nisi amor vellet obtemperare. *Detractiōne* vt Silēnones tanquam leones vitaſſet. *Variatione* eiusdem vocis vt In ſyluis lepores, in verbis quære lepores. Deniq; *transpoſitione* literæ. vt Videte iudices ytrum homini nauo an vano credere malitis. Ad extremū *literæ mutatione* vt Deligere oportet, quem velis diligere. Hæc figura raro eſt usurpanda, idque nonniſi ſen-

sententijs instructa. alioqui sola per se
puerilem olet levitatem.

Hemisoptron id est, similiter cadens,
est, cum in oratione plures similes casus
ponuntur. Ut cuius adolescentia, ad sci-
entiam rei militaris, non alienis præcep-
tis, sed suis imperijs, non offenditionibus
belli, sed victorys, non stipendijs, sed
triumphis est traducta.

Similiter desinens, est, similis aliquarum
sententiarum finis. vt Itaq; non solum
in eum non animaduertisti, sed omni-
metu liberauisti, hospitem agnouisti, re-
gem reliquisti.

Compar Græcè Isocolon est, quando
pari ferè numero syllabarum constant
membra orationis. vt Viuunt cū inimi-
cis, adsunt cum aduersarijs, habitant
cum accusatoribus.

Commixatio est, quando duæ sententiæ
inter se discrepantes, ex traiectione ita
effe-

efferuntur, ut à priore posterior contra-
ria priori proficiat. ut Non vt e-
dam viuo, sed vt viuam edo.

Atque hæc de figuris tam sententia-
rum, quam verborum dicta, sunt. In
quibus adhibendis hæc obseruanda sunt,
ut quæque figura loco apto ponatur,
quod ex obseruatione probatorum au-
ctorum orator consequetur. Deinde vt
figuræ crebro ac diligenter varientur,
alioqui facile perpetua copia nauseam
prouocabit. Tandem, vt illæ, quæ ali-
qua laborant leuitate, quam rarissimè,
& cum debit is remedijs adhibeantur.

Quæstio IV.

DE RELIQVIS QVÆ AD E- locutionem requiruntur.

Quoniā ad elocutionem, nō tantū
verborum, troporum, ac figurarum ne-
ces-

cessaria est cognitio , verum etiam collocationis ac numeri notitia. ideo de his etiam hic agendum est.

§. 1. DECOLLOCATIONE.

Collocatio illa est optima , quæ vinclam , bene cohærentem , & æquabiliter fluentem facit orationem : ad quod negotiū ordo ac iunctura sunt necessaria. Ordo & in singulis verbis & in contextis obseruatur. In singulis cauendum est , ne decrescat oratio , & ne post fortius adyciatur aliquid infirmius , post parricidium v. g. petulantia ; aut leuitas , post , sacrilegium. Naturæ item ordinis ratio habenda est , atque sic dies ac nox , ortus ac occasus , dicendus est potius quam inuerso modo. Deniq; si per compositionem licebit , optimum est , ut sensus verbo claudatur: sitamen id durus aut violentius erit , non erit necesse nimis

nimis religiose istud præceptum seruare, quod etiam summi oratores fecerunt frequentissimè.

Iunctura verò illa bona est, quâ verba præcedentia cum sequentibus primis ita iunguntur ut nec asperè concurrant, nec vastius diducantur. Asperè concurrunt consonantes asperiores. Ut Aesopus sapiens, stultus Xantus, infelix Xerxes. Hiulcam verò reddit orationem confluxus vocalium ut Adolescenti ingenuo odiosa otia esse debent. Itaque quantum fieri potest, hæc vitia vitanda sunt, sicut & illud, ne primæ syllabæ verborum sequentium sint similes ultimis syllabis vocum præcedentium. Ut Nullus vsus usque eò processit.

§. 2. DE NUMERO ORATORIO.

Numerus Oratorius diuersus est à poëtico

tico : in soluta enim oratione , sine discrimine potest poni siue Dactylus , siue Anapæstus , cum totidem sint in utroq; syllabæ & tempora. In carmine vero nequit in locum Dactyli venire Anapæstus. Item versus , eodem semper ordine currit , & eosdem pedes exigit : ad quod soluta oratio non obligatur. Iam vero numerosa oratio censetur esse illa , quæ nec claudicat , nec quasi fluctuat , sed æqualiter , constanterque fluit : talis autem est , nō quæ tota constat è numeris , sed quæ saltem quā proxime ad numeros accedit , nec difficilis hac in parte oratori labor erit , si non defuerit exercitatio , & incisorum membrorum , ac periodorum notitia.

Incessum ergo sens' est , non expleto numero cōclusus . vt Domus tibi deerat ? at habebas : peccnia superabat ? at egebas : ubi incisa sunt quatuor , fiunt & in singulis

lis verbis incisa. Ut *Acrimonia, Voce, Gula, gna, aduersarios perterriti.*

Membrum est sensus numeris absolutus, sed à toto corpore abruptus, & per se nihil efficiens. Ut *Nihil in vita videt calamitatis a Cluentino, nullum periculum mortis adiit, nihil malis timuit, quod non rotum à matre effer conflatum & perfectum. Nihil in vita videt calamitatis a Cluentino;* est perfectum, sed ab alijs membris separatum vim non habet ; sicut & aliud illud membum. *Nullum periculum mortis adiit, cum vero omnia hæc membra, in vnum quasi orationis corpus coniunguntur, habent perfectam totius sententiæ demonstrationem.*

Periodus, quæ etiam ambitus, circuitus, continuatio, comprehensio, aut circumscriptio dicitur, est cum ab initio usque in finem quasi in orbem inclusa fertur oratio, donec consistat singularis, perfectis, absolutisque sententijs.

II4 INSTITVT: RHET.

vt Cum in omnibus causis gravioribus C. Caſar initio discendi commoueri soleam vehe-
mentissim, quam visideretur, vel ſuis, vel aras
mea postulare: cum in hac cauſa, ita memul-
ta perturbant, & quantum mea fides ſtudy-
mihi afferat ad ſalutem regis Desorari defen-
dendam, tantum facultatis timor detrahatur.

Docent autem hic Rethores, vt ele-
gantes ac numerosæ ſint periodi, incer-
tis earum partibus certos pedes adhibe-
ri aportere. Secundum quos, pro initio
periodorum laudatur Dactylus pæon
prior Anapæstus & Creticus. Dochim-
mus verò pro quoquis loco valet ſi ſemel
ponatur.

In medio ambitu libeiores ſunt, mo-
do non ſint pigri, aut longi. Itaq; eti-
am hic Pæon primus Dochimus ac Cre-
ticus ponitur, & præter hos Bacchius
ac Spondæus, maxime ſi grauius oratio
debet procedere, ſi verò celerius curret,
Trochæus & Iambus aptior erit, ſi de-
ni-

nique moderatiūs , iij pedes commodissimè adhibentur , qui ex breuibus longisque syllabis conficiuntur. Celerior incontentionibus, grauior in rerum expositionibus oratio requiritur.

Finis periodi Chorem Spondeum, Pæonem secundum, Creticum, & Dochimum recipit. Attendendum autem est, ne periodi versuum clausulis terminentur, & ne verba aperte trayciantur, quo melius aut cadat, aut fluat oratio; itemque ne numeri causa, verba superuacanea ingerantur: denique ne minus numeris concludatur, infringaturq; oratio.

Porrò periodus has virtutes habere debet, vt sufficienter sensum contineat, vt clara sit, & non nimis magna. Quod ad magnitudinem attiner, optima censetur, quæ quatuor membris constat, & nec brevior fermè, nec longiore est, quam

quam quatuor versus hexametri. Constant etiam s̄epe periodi tribus membris, imo & duobus. Observandum autem est hic. In genere Demonstratio, ambitum aut circumscriptio, liberrime adhiberi, in Iudicali verò, verecundius: deinde, optimè ad perorationes, & proæmia maiorum causarum usurpari. Incisim verò ac membratim tractata oratio, in iustis causis valet plurimum, maximè ubi necesse est arguere, aut refellere aduersarium.

Quæstio V.

DE MEMORIA.

Videri potuit memoriam non esse singularem eloquentiæ partem. propter eandem rationem, propter quam nec iudicium inter eiusdem eloquentiæ partes numeratur. nimirum quod in alijs partibus æquè ac iudicium includatur.

Vc-

Verum cum memoria, sit alia natura-
lis, & alia artificiosa, certum est, quod
posterior, sit peculiaris eloquentiae
pars, licet prior, scilicet naturalis, in
alijs paribus inueniatur.

Multi hic dicendi Magistri, plurima
artificialis memoriae tradunt precepta:
locos quosdam signare, imagines con-
stituere, & phantasmata ac idola qua-
dam fingere præcipiunt. Sed hæc aut
minus necessaria sunt, aut sponte sine
vlli regulis à phantasia cuiusq; præsta-
ri possunt. Vnicum, & illud præstan-
tissimum memoriae artificium est, con-
stans ac diligens ipsius exercitatio, quæ
est, sæpe, memoriter atque multa
discere.



Quæstio VI.

DE PRONUNCIATIONE.

Pronunciatio plurimùm oratori est necessaria, vnde primas illi Græcus orator tribuit. Continet in se vocem & gestum. Vocis tam sunt variæ mutationes. quām & affectum, qui non mediocriter voce excitantur. Itaque prudens orator pro desiderio affectus in auditoribus excitandi, variè vocis sonum inflectet. Pro iracundia acutè & incitatè, pro tristitia ac miseratione, interrupè atque flebiliter, pro metu, demisse & hæsitanter. In pugnando, vocem vehementem, contentamque; in deletione effusam, lenem, teneram, hilarem, ac denique remissam adhibebit. Vide Nicolaum Causinum, qui hac de re satis fusè in suis Paralellis.

Voci

Voci gestus debet esse accommodatus.
Atq; ita status erit erectus, rarus & bre-
uis incessus, nulla mollitia ceruicum,
nullæ argutiaæ digitorum. In trunci
constitutione, laterum flexione, bra-
chiorum proiectione, & alijs similibus,
modestiaæ leges sunt custodiendæ. Fu-
gienda autem est vultus nimia ac affe-
ctata mutatio: oculi verò qui sunt indi-
ces animi, iam intenti, iam remissi, iam
hilares, iam mæsti, prout res atq; affe-
ctus expositulat, esse debent.

*Atque hæc omnia cedant in Dei omni-
potentis gloriam, eiusq; Magnæ
Matris, honorem.*

*Si uolgo in missione o domanda
qualcosa non mi trovi stupido*

E R R A T A.

In Epistola Dedicat. facie secunda, versu
tertio omisum est verbum. *Tua.*

In eadem facie vers. 18. vulgarije. pro *Gulgarijs.*

In præfat. ad lectorem. facie 1. vers. II. totus
pro *totius.*

Fol. 5. ver. vlt. Rhetorica, pro *Rhesorica.*

Fol. 7. v. 9. superfluè additum. *ac inftis.*

Ibid. ver. 17. Philolophica, pro *Philosophia.*

Fol. 12. ver. 3. foria. pro *forria.*

Ibid. ver. 14. præteres. pro *praterea.*

Fol. 17. ver. 6. gentia. pro *exgentia.*

Fol. 18. ver. 6. intrinse ea. pro *intrinseca.*

Ibid. ver. vlt. effetibus. pro *effectibus.*

Fol. 21. ver. 8. orationibus. pro *oratoribus.*

Fol. 22. ver. 13. reliquiæ. pro *reliquæ.*

Fol. 23. v. 18. Appodafin. pro *appodosia.*

Fol. 25. v. 7. Catelinam. pro *Catilinam.*

Ibid. ver. vlt. contradictora. pro *contradictoria*

Fol. 27. ver. 4. desident. pro *desidente.*

Ibid. v. 7. conararijs. pro *contrarijs.*

Fol. 30. ver. 9. caafarum. pro *caufarum.*

Fol. 31. ver. 12. haurispicum. pro *Harspicum.*

Ibid. ver. vlt. Eurypitum. pro *Euryptum.*

Fol. 37. ver. 7. genere. pro *congerie.*

Ibid. ver. 15. consequentium pro *consequentiis.*

Ibid. ver. 19. colonia. pro *colonias.*

Fol. 38. ver. 7. inuidereut. pro *inuisiderent.*

Fol. 39. ver. 5. amplificatonis, pro *amplificationis.*

Ibid.

Ibid. ver. 13. vehementius. pro *vehementiss.*
Fol. 40. ver. 4. accepta. pro *excepta*.
Fol. 41. ver. 2. lautione. pro *laudatione*.
Ibid. ver. 12. qnod. pro *quid*.
Fol. 42. ver. 4. idco. pro *ideo*.
Ibid. ver. 10. sorsim pro *sorsim*.
Fol. 45. ver. 1. integre. pro *integregis*
Fol. 48. ver. 8. fe. pro *se*.
Ibid. ver. 10. indignitate. pro *in dignitate*.
Ibid. ver. 15. verecudus. pro *verecundus*.
Fol. 52. ver. 13. parentum. pro *parente*,
Ibid. ver. 15. sic. pro *si*.
Fol. 53. v. 8. haeat. pro *habeat*.
Fol. 63. ver. vlt. patræ. pro *patria*.
Si quod præterea vitium irrepserit, facile per
se corriget benignus Lector.

